



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

Bipartitus, In Qvo L. Vetera Monumenta, Nunquam Visa, Pauculis Exceptis -  
Quorum Catalogum versa pagina indicat

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1604**

Antiquæ Lectionis Tomi V. Pars Prima.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64177)

APPROBATIO.

**P**Oterit Cl. Dn. CANISIUS, hunc Quintum quoq; lectionis Antiquæ Tomum magno cum multorum fructu edere: Quippe qui & ipse ex veneranda antiquitate deproptus complura contineat Opuscula, tum dogmatica, tum historica, tum moralia ad stabiliendam veritatem, & excolendam pietatem nobilissima, & utilissima.

ALBERTVS HUNGERS, S. Theologiae Doct.  
Professor, & Procancellarius, atq; hoc tempore Collegii Theologici Decanus in alma Academia Ingolstadiana.

ANTIQUÆ LECTIONIS

Tomus V.

PARS PRIMA.

EDITORE

HENRICO CANISIO I.V. DO-  
ctore, & SS. Canonum in Academia  
Ingolstadiensi Professore  
ordinario.

Beati

Beati

SERAPIONIS

EPISCOPI THMVEOS

*Aduersus*

MANICHAEOS

LIBER.

*Nunc primum in lucem editus.*

Interprete

Francisco Turriano Socie-

tatis I E S V.

•••

•

S. Hie



S. Hieronymus lib. de viris  
Illustribus.

**S**erapion <sup>duxerit</sup> Aegypti urbis Epi-  
scopus, qui ob elegātiā ingenii, cog-  
nomen Scholastici meruit, carus An-  
tonio Monacho. edidit aduersum Mani-  
chaum egregium librum, & de Psalmorum ti-  
tulis alium, & ad diuersos vtilis Epistolas;  
& sub Constantino principe etiam in confes-  
sione inchoatus fuit.

Martyrologium Romanum die  
21. Martij.

**A**lexandria beati Serapionis ana-  
choreta & Episcopi Thmucos, ma-  
gnarum virtutum viri, qui Aria-  
norum furore in exilium actus migravit ad  
Dominum. In qua verba Illustriss. Cardin.  
Baronius. De eodem Serapione Beda, Vsu-  
ardus,

ardus, Ado, & alij. licet eum tantum dicant  
Anachoretam. verum insignem illum Sera-  
pionem ab Athanasio fuisse ordinatum Epi-  
scopum, constat ex Epistola eiusdem Atha-  
nasia ad Dracontium. Exstat de eo Alexan-  
dri Episcopi Thessalonica ad Athanasium E-  
pistola, quam intexuit idem Athanasius in  
Apologia secunda. Agit de eodem S. Hierony-  
mus lib. de Script. Ecclesiast. & in Episto. ad  
Magnum 84. Ad hunc Serapionem exstat  
Epistola insignis eiusdem sancti Athanasii  
aduersus eos, qui musitare incipiebant, Spi-  
ritum sanctum esse creaturam. Item commē-  
tarius de blasphemia in Spiritum sanctum, &  
Epistola alia de morte Arii, & statu illius tē-  
poris.

Fuit autem Serapion noster Episcopus  
Thmueos; sic dicta ciuitas in Ægypto ab hir-  
co, ut testatur S. Hieronymus contra Iouini-  
anum lib. 2. Thmuis, inquit, interpretatur  
hircus; Meminit eiusdem ciuitatis Cassia-  
nus Collat. 14. cap. 5. & collat. 16. cap. 1. Posi-  
ta hac ciuitas erat in ea Prouincia Ægypti,  
dicta Scethi, quæ & à Scythis Orientalibus

Scythia appellata saepius reperitur: à Scythis enim Aegyptios fuisse debellatos, auctor est Iustinus hist. li. 2. de eremo Scethi, quae & Scythia dicitur, frequens est mentio apud Pallad. in Lausiaca, Euagr. Casian. Sozomen. Nicephor. & alios. De urbe Scethi & Scythiaca regione meminit Ptolemaeus lib. 4. Quod dicta ciuitas Thmucos in Scethi fuerit, constat ex Epistola S. Germani Capuani Episcopi, & aliorum legatorum ad Hormisdam Papam, quam habemus apud nos m. s. in qua leguntur de Monachis Scethi seu Scythia: Isti de sua prouincia Episcopos accusant, inter quos est Thmuitana ciuitatis Antistes, &c. Hac Baronius. Quae sequuntur, Ortelinus in Thesaurio suo Geographico. Thmuis Aegypti urbs Metropolis Stephano & Ptolomeo, atq; in oraculis Sibyllinis. Item apud D. Athanasium. Thmuis legit Ammianus: & Thmuis Antoninus. Thmois liber Notitiarum. <sup>Scythia</sup> Nomputo legi apud Herodoti Euterpen pro <sup>Scythia</sup> Scythia. Non est in Scythiaca regione, ut quidam vir doctus vult. Consule nostram Aegypti veteris tabulam. Ita Ortelinus.

SERA-



SERAPIONIS  
EPISCOPI THMV.  
LOS ADVERSVS MA-  
nichæos liber.



Oluit errorem veritas, & extinguit fallaciam, & omnis mendacii ortum intercipit, ac prohibet. Obsecremus igitur Dominum Iesum, qui est veritas, ut illuminet mentem nostram, ut neque fallacia mentem capere possit; nec error vincere. neque si ceperit, aut vicerit, firmani, & stabilem victoriam obtineat. Solummodo enim si appuerit, & radios veritatis suæ emiserit, fallaciam quidem indutam dissipabit; mentem verò extra errorem conseruabit. Ipse enim clamat, ego sum via, veritas, & vita. Ipse præcipit: attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Quia enim illorum modus fraudulentus erant, & mores simulati, non celauit eos veritas, sed nudauit, permittens, ut quod in mente latet, ab eo, quod extrinsecus fictum & simulatum est, tegatur, ut ipsa fallacia deprehensa infirma fiat in eorum argumentis, ut ne neminem irretire queat.

Est igitur malitia multiformis, & multipartita, in varias argumentationes fusa. Cuius partes quædam nocentiores sunt, & magis mortifera. quam obrem neque minora tacenda sunt; neque maioribus parcendum; cum sciamus minores quidem partes vitii minora dam-

Δ 3      aa

na parere; maiores verò magna. Qui enim in grauioribus labitur, grauioribus poenis punitur: & qui à maiore deceptus est, maius supplicium sustinet. Ponderantur enim fallacie; ponderantur etiam peccata. & qui ponderatur, pro grauitate ponderis supplicium reportat. neque quicquam qui iudicat, non ponderatum relinquit. Quin etiam vniuscuiusque, qui sefellit, fallaciam & facilitatem eius, qui deceptus est, demens poenam decernit: quocirca studendum est, vt ne minima quidem fallacia capiamur, siquidem minima fallacia instar scintillæ, naçta materiam assensionem animæ, incendiū magnæ flammæ efficit: multi enim principio ex paruo errore cæpto, in pelagus erroris dilapsi, & effusi sunt.

Idcirco curandum est, vt ne minimo quidē errore labi contingat. pulcherrimo animæ propugnaculo ædificato, ne maiore capiamur. Qui enim in paruis labitur errore, labetur aliquando in maioribus. & qui non est seductus à paruis, erit ita contra maiora munitus, & tutus, vt ei resisti non possit. Quia igitur si multi lupi pelles ouium induti, gregem inuaderent, non sileret pastor, sed gladium vibraret, vt in tuto gregem collocaret, nudans, & patefaciens conatum ferarum: Ecce multi sunt, qui exlerunt, & hic, atq; illic errant, pro pellibus ouium nomen Christi induti, qui se quidem dicunt, quod non sunt, quod autem sunt, dici nolunt; sed suam improbitatem amictu nominis tegunt, qui commune quidem habent nomen, student verò, vt nomen Christi funditus deleant: qui contra Iesum militant, & Iesum inuocant. Hæc est difficillima omnium improbitas, nomine Christi appellari, & Christum oppugnare. Etenim quia non potuit peruersitas contra Deum bellum gerere, vsa est nomine, vt vsu nominis opinionem imprudentibus iniiciat, vt quasi Christi familiaris hic, & illic, vt libet, eos, qui in Saluatorem crediderunt, perdat. Sic Valentinus exiuit; sic Marcion; sic Sitianus; Aliunde verò etiam Phanius. Postrema abortio improbitatis, quæ omnes aliorum improbitates extenuauit, & maiore improbitate aliorum improbitates in secundis posuit, furor Manichei est; & in Prophetis scriptum est, propter nimiam negligentiam Hierusalem, justificata est ex te Sodoma. Multæ quidem paulò ante opiniones absurdæ, & falsæ extiterunt, quæ cum magnitudine prauæ opinionis Manichæorum comparatæ, moderatæ sunt, cum sint alioqui in pelagus inundantis prauitatis demersæ.

fort. Schy-  
tianus,

Ezech. 16.

Et



Et ut non leuiter absurda refellere aggrediamur, & nominibus eorum tantum vsi videamur sine conclusionē argumenti, quæ est & modus est, ad eorum accusationes accedere, age, conferamus nos ad ad rationem demonstrantem, ut illorum errores soluamus, & veritatem in medium producamus. Est igitur vitium expers substantiæ, & non per se existens, actio potius, quàm essentia, siue substantia & actio, ex electione proficiscens eorum, in quibus electio agrotat atq; actio, quæ accidit quidem, facile verò ab iis, qui agrotauerunt, abscedit. Sin verò accidisset quidem, sed non abscederet, dici posset, non esse quidem per se vitium; neq; posse tamen substantiam esse vnquam absq; vitio. Quod si accidit electio, facile autem separatur, ut rursus quod vitio subiectum erat, purum reddatur, neque vitii signa, ac vestigia habeat, erit vitium neq; per se nihil; neq; aliquid quod per se esse queat; neq; quod semper sit, sed potius deletur, & dum deletur, conuincitur non posse per se esse; & quandoque non fuisse, quin potius paulo ante ex electionis inualetudine prodidisset. Quod autem non reperitur anima secundum substantiam mala sic natura facta, neq; corpus per se, substantia malum, testantur rationes & actiones: Etenim si temperantia virtus est, corpus verò substantia malum, non posset reperiri corpus temperans, ne corpus, quod substantia turpe & viciosum est, corpus virtutis efficiatur. Cū enim corpus se temperat, corpus virtutis factum est, & corpus virtutis est, & quia corpus virtutis est, potest esse templum. Si enim omne corpus libidini deditum esset, & non posset reperiri in corporibus temperantia, potuissemus attribuere substantiæ corporum, substantiale malum. Sin verò vsque eò processerunt corpora, & tantopere honorata sunt, ac tantam temperantiam induerunt, ut domus fiant auctoris, & conclauē Domini, ut pater & filius ad ea veniant, & in eis habitare velint, quomodo non est absurdū, & ridiculum quod aiunt?

Ioan. 14,

Ecce enim Paulus alicubi ait: an nescitis, quod corpora vestra templum sunt Spiritus sancti? Deus autem per Prophetam promittit, inquit: habitabo in eis, & inambulabo, & ero ipsorum Deus. Hæc scriptura & menti suadet; & corporibus attestatur, & substantiale malum expellit: Studium verò actionis rem efficit, cum enim idoneam vitam & aptam reddit, tunc talis fabrica in corporibus redatur, ut possint corpora Spiritui sancto deseruire, deseruire ite m rationi. Quomodo igitur potest lingua cogitatis inseruire? Si enim lingua

1. Cor. 3,

lingua

lingua mala est, mens autem bona, quomodo potest societatem cum cogitatis habere, notiones in lucem interpretatione proferens? Sicut enim ex libidine non gignitur temperantia, sic fieri non potest, ut ex malo secundum substantiam aliquid honestum proficiatur. Cum igitur singula membra consideraueris, auditum, aspectum, linguam, alia membra, & videris facta esse instrumenta præceptorum, quæ didicimus, tunc corpus quidem laudabis, & non vituperabis, videbisque facta esse, hæc esse pura, ac munda. execraberis autem fraudulentum veritatis inimicum.

Quod si quæ partes corporis semper essent temperantes, nunquam in pigritia, alia verò semper pigrantes, nullam partem temperantiæ amplectentes, dici posset, diuisionem esse in corporibus, & partes quasdam sic natura factas esse, quasdam verò aliter, essetque in hoc ratio eorum infirma, non enim jam de totis corporibus eorum disputatio esset si tali hypothese vterentur. Sed faciliè rursus sic redarguuntur: Quomodo enim possunt corporum eiusdem substantiæ duæ contrariæ naturæ ab eadē substantia subsistere? eademque substantia in naturas duas diuidi? ut hæc pars sit semper mala, altera verò semper bona; & ut se recipere non possint, secum pugnent, à se intereant, in vsu atque exercitatione se interimant, cum alioqui substantia nunquam secum pugnet, sequi tollat. si talia inquirantur, rursus ipsorum questio nugatoria, & fatua apparebit.

Sin verò non sic sunt corpora, nec alia quidem semper sunt in virtute temperantiæ, alia verò semper in pigritia, sed metus est de temperantibus, ne quando propter negligentiam temperare pigrentur: Multa enim jam corpora ob virtutem temperantiæ clara, capta sunt, & ea æstus libidinis absorbit: sed rursus spes est de impudicis, & libidinosi corporibus: siquidem multa jam quæ in pigritia & ignauia fuerunt, tantos progressus in continentia fecerunt, ut neque signa veteris incontinentiæ retineant: & ab omni ruga, & macula vetere propter reditum ad meliorem vitam liberata sint. Cum igitur ait Euangelium, quod publicani & meretrices præcedunt vos in regnum cælorum; & cum Paulus: fide Rhæab meretrix non perit cum incredulis, cuius substantiæ vel naturæ erant corpora? si enim bonæ, quomodo fuerunt pigra? si malæ, quomodo temperata? si verò à pigritia ad temperantiam translata sunt; & aliquando quidē fuerunt pigra, quandoque verò temperata, & potuerunt pigrari, & potuerunt temperare, id quæ testantur mutationes. Soluta est natura.

ra. Ostensa est electio, & non est corpus substantia malum, quin potius electioni deseruiens, & minister electionis, & non natura, idque futurum, quod electio dederit, ut sit.

scilicet corpus virtutis, aut corpus vitii,

Cum enim mens disciplinis susceptis, amore disciplinarum teneri coepit, tunc corpus à motibus, qui illiciti, & prouocant, solutum & expeditum, tranquillitatem magni facit, & quin actionibus deseruiat, non repugnat. eum verò desidia, & mollicies animi illiciti, & tanquam dissolutio, & mollitia mentis exilit, tunc perturbatio corpori adscribitur; & nihil aliud inter utrumque intermedium cernitur: estque verum quod scriptum est, ecce posui coram te mortem, & vitam. elige, quod vis, ut quod iustum est, qui elegerit ad vitandum, de eo ratio in iudicio ab eo repositur; & non coactus ad aliquid, excuset vim & necessitatem in eo, quod egit; neque sic natus, extra querelam, & culpam sit, quia natura repugnare non potuit. Cumque utrumque in potestate habeat, & ad eligendum dominus sit, iudicii proprii rationem reddat, & se defendat. quod enim elegerit, volens elegerit. Idcirco de voluntario iudicium subit, qui voluntate sua se ad actionem rerum applicauit. Si hæc non ita sunt, frustra Sancti coronabuntur: frustra mali cruciabantur, si actionis causa non adscribitur facientibus.

Ier. 21, 8,  
Eccl. 15, 18.

Quid igitur Manichæos mouit ad inferendum corporibus accusationes, & vituperationes? quos tum quæ scripta sunt, tum quæ à patris dicta, abunde accusant. temperantia enim, quæ in actione posita est, testimonium tribuit corpori temperanti. Scriptura autem, quæ clamat: exhibete corpora vestra hostiam viuente, Deo placentem; satis argumentum concludit. non enim Deus, quod non est suum, approbat, & amplectitur; neque quod ab alio fictum & simulatum est, requirit, ne qui alios de violentia accusat, ipse violentus existat. & ne quid desideret, quasi ipse facere non possit. Si enim vult, id quod honoratum est, ut corpora sint in virtute temperantia, quomodo non fecit, quod volebat? Sin verò fecit quidem non ipse, sed sic sunt natura facta, ut essent mala, quomodo naturam commutauit, ut non amplius haberent naturam propriam, nec essent mala, sed essent honesta? Si autem potest natura verti, ac mutari, quomodo est natura, quæ variatur? quod enim variationes, & mutationes capit, nondum finibus, terminisque natura continetur. mutatur autem corpus, & variatur. & quod fuit in pigritia & ignauia, temperat, & clamant præcepta: non fornicaberis. clamant: non

Rom. 12, 1.

B adul.

adulterabis; & precipiendo tollunt facultatem faciendi; & quod peccati poterat, hortando cohibent; & adiungendo rationem ad iudicium, ut mens in virtutem propensa, corpus etiam ad virtutem attrahat.

Sane quidem corpora Sanctorum tantum in virtute profecta sunt, ut honorata fuerint, & non facta vacua ab operatione, & viduina.

4. Reg. 13.

Mortuum jacebat corpus Elisei, & cum jaceret mortuum, suscitavit mortuum: expulit mortem, liberauit ab obitu, reuocauit ad viuos vitam defunctum, excitauit a mortuis, corpus a Deo factum.

A. 7. 5.

Quod si Manichæi contra hoc furentes, etiam scripturam accusant, neque legem honorant, deterreat eos simile exemplum; faciat umbra Petri, ut ipsos pudeat: umbra enim erit corporis, quæ cum corpora egrorum inumbrabat, eorum morbos depellebat.

Cum tales ergo sint nostræ rationes demonstratiuæ, & talis sit actio item demonstratiua, quomodo non sint absurdi, qui quæ aptari, & colligari non possunt, verbis aptare, & colligare studuerunt? Neque enim Manichæi, Corpus Satanæ gestauimus, anima vero Dei est, ac corpus quidem sic natura factum est, malum ex malo: anima vero natura facta est bona, ex bono originem trahens. Sunt igitur duo principia, & duæ substantiæ, & duo principia sunt causæ, altera quidem corporis mali, altera vero animæ bonæ. Bona igitur est anima, & corpus malum. & quomodo corpus quidem temperans est, anima vero sæpe pigra? quomodo utrunque non manet in ordine suo? sed contra potius quod erat diaboli, fit Dei; & quod Dei, diaboli. & dissoluta est vulgata inimicitia; & facta amicitia, & foedus, Deo animam dimittente, ut inferuiat diabolo; & contra diabolo corpus, ut inferuiat Deo. Inferuit enim Deo, cum est temperans. Hoc autem Dei est, sicut rursus inferuit anima diabolo, cum non credit, & loquitur blasphemiam.

Quomodo igitur non merito moueat prudentibus risum & cachinnos tam absurdum, & ridiculum ipsorum dogma, quod introducere studuerunt? Quod autem ea vis animorum, quæ posita est in ratione, capta est vitio intemperantiæ, potuit autem rursus, & potest intemperantiæ illam, qua tenebatur, deferere; satis probat illa de filio adolescentiore apud patrem ignauia. reliquit patrem, profectus est ad voluptates, commoratus est in luxuria.

tan-

tandem rediit ad se. reuertitur ad patrem. dimittit turpitudinem. Procedit supplex ad preces; consequitur veniam. precepta enim magni precii, quæ didicit, obiecit, quibus solum, quem peccatum parit, deleuit; & celebritatem lætam rationi consentaneam, & diuinam pro fletu reddidit.

Nescio an Apostolum criminantur, & in Apostolis numerant propter noua. Si noua laudant, quid aiunt de eo propter vetera? Non enim priora cum posterioribus conueniunt. Lupus erat Paulus, & repertus est pastor. mactabat; & hodie scutum. & tanquam propugnator sanguinem gregis fundere voluit; ad extremum periculis se obiecit, & sanguinem suum profundere studuit. non enim recens natus, & cum dolore partus ex utero editus, usque ad tempus sepulturae in eodem statu perseuerauit; sed potius variis mutationibus ac conuersionibus usus est. Faustum quidem finem nactus, vitæ verò institutione superiori contraria usus, non erubescit, neque tacet vetera. Laudem vitæ nouæ putauit esse, quod ex tanta peruersitate egressus, ad tantum culmen virtutis reuersus est, & clamat: propter hoc Christus venit in mundum, ut peccatores saluos faceret, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem illorum, qui credituri sunt illi vitam æternam.

1. Tim. 3.

Cum autem chorum Apostolorum contemplabimus, intelligemus ex peccatoribus, & profanis hominibus fuisse collectum, qui multa olim peccauerant, & non sunt amplius errore lapsi: in quibus duo fuerunt, lapsos fuisse, & non iam lapsos esse. Quod si mala natura præditi fuissent, semper peccassent; rursus, si bona natura, nunquam peccassent. si verò in multis lapsi, & cum multa peccata commisissent, eò euaserunt, ut non peccarent, & ad vitam ab erroribus liberam deuenirent, constat naturam animæ liberam arbitrii ac voluntatis esse, non ad aliquid natura factam, sed electione mutationes capere; quocumque vult, se vertere & redire, quò reditum eligit; & interdum sic degere, interdum sic, ut vult, faciens voluntatem suam normam suarum rerum. norma enim actionis est voluntas facientis. Si autem quæ oderant, dilexerunt, & quæ dilexerant, oderunt, & non fuit sententia fixa in odio, sed instar volens leuiter se transfert, quo desiderat, ubi est natura? oportet

γινώσκω

ter enim naturam, quæ semper odit, semper odio habere, quod odit; & quæ semper amat, semper amare quod amavit: & non jam amare, quæ odio habuit; neque quæ amavit, odio habere, ubi autem sententiæ mutantur, & tot mutationes capiunt amicitia, quid aliud res est, quàm certamen?

Habebatur aliquando Iesus odio à Paulo, & magnoperè amatus est ab eo, qui oderat. amabatur latrocinium à latrone, & odio erat virtus, & tantam mutationem mens cepit, ut quod valde oderat, magnoperè amaret. hoc enim proprium est eius, qui studio virtutis tenetur, amare quidem quod odio persecutus fuerat; & odio habere, quod persecutus amore. Quin immò adolescentes voluptates adamarunt, & honesta odio habuerunt. Hodie cernimus eos esse in scientia & cognitione, idcirco nec agnoscuntur; idcirco secum certauerunt, idcirco nec imaginè veterè sumunt, at homines sunt, & iidem sunt, non desierunt esse homines, manente alioqui substantia, non manent mores. Substantiæ non sunt solutæ, mores sublatis sunt. vniuscuiusque substantia existit hominis substantia; sed non jam hominem agnosco, erat libidinosus, & factus est pudicus. Latro erat, & vitâ benigni & benefici imitatus est, non figuram personæ deiecit; permanent lineamenta aspectus; non abstulit aspectum naturæ.

Cum hominem video, agnosco, qualis est: cum verò mores contempler, admiror, non amplius agnosco. morum translatio admirationem attulit. Substantiæ quidem non sunt mutata; corpus enim in substantia corporis perseverat, non aliud factum. nec enim corpus in incorporeum translaturum est, nec anima alia existit secundum substantiam. Quin potius manentibus substantiis, non permanserunt studia,

Quid igitur dicemus? si manentibus substantiis, non permanserunt studia, non insunt in substantia studia. Si enim in substantia inessent, simul cum substantiis permanerent, & non mutarentur. Quod si substantiæ in naturâ sua perseverauerunt, non autem perseverauerunt studia, sed potius oculus, qui olim voluptate capiebatur, temperantiam pro claustro habuit; lingua, quæ olim prompta, & præceps fuit, & consilia præcurrens, jam freno rationis obtemperat & confitetur, & quæ errore carent, loquitur; corpus verò paulò ante erat in metu, quiescebat, erat contractum, & postea temperatè viuit: sequitur, naturam oculi non esse appetitum, neque linguæ naturâ peccantiam, neque corporis naturam pigritiam, & ignauiam.

Quod

Quod si oportet in naturalibus persistere, & non hæc tacere, oculi erat videre, non quomodo videret; & lingua item loqui, non quomodo loqueretur; qualitas enim motuū posita est in electione. Simplex autem, & non periculosa rerum motio membris attribuitur. Periculo igitur vacat simplex motus. incerta verò est mutatio. ac iudicium quidem & disciplina præceptionum, cum tanquam duces oculis præeunt, rectus & diuinus est aspectus vsq; ad ea, quæ aspectu digna sunt, porrectus. Cum verò negligentia dominatur, turpes, & fucatae sunt res. Sic etiam corpus, sic omne membrum actione honorat; actionem imitatur. bonum est, quod formatum est, potest enim deferuere virtuti. Sanctæ sunt leges, curant enim vt diligentiam adhibeat, quod formatum est. Misce cum formatione legem, & videbis quod formatum est, similitudinem eius, qui formauit, habere, imitabiturq; eum. sin verò formatus es, sed lineamenta formationis non reddis formato, ferè accusas, & calumniaris auctorem, & cum videris contumeliosus esse in id quod factum est, contumeliam infers ei, qui fecit.

γνώμη  
ἡγεμονία  
δύναμις  
τοῦ  
κρίσειν

Quandoquidem verò aliqua est animæ substantia, & non est soluta, neq; soluetur substantia eius, sæpe autem soluti, & sublatis sunt mores, quid quod solui potest, tanquam solui non possit, substantiale esse confiteris? Sunt sæpenumero animæ captæ quidem imprudentia, postea verò prudentiam amplexæ sunt. Et rursus sæpe prudentia illustres, quandoque in imprudentiam ceciderunt. Sæpe audiuit, homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. clamauit etiam Paulus: stulta mundi elegit Deus, vt sapientes confunderet: igitur qui erant in stultitia, ad prudentiam deueniunt; & qui erant in prudentia, ad stultitiam; & segnicies quidem mentem cepit ægritudine prudentiæ captam, disciplina verò mentem insipientem recuperauit, & eiecta ægritudine imprudentiæ propriam valetudinem reddidit. Virtus ergo & virtutes mutationes ceperunt. comparari possunt, & amitti. habes, & non habes; inuenisti & amisisti. habes, q; inuenisti; non habes quod amisisti. inter eos, qui inueniunt, & perdidit, numeraris. aliud est, quod inuenitur & amittitur; hoc enim est virtus & vitium. Qui verò inuenit, & perdit, is est, qui virtuti & vitio operam dat. & vitium quidem nihil. propriè enim nihil est. non enim potest per se esse vitium. actionem verò mollitiæ affectionis consistentem, & studio consultæ voluntatis intereuntem

Pl. 48.

1. Cor. 1.

sume scilicet ex iis, quæ addiscuntur, & ex motibus considera quæ foris sunt; contemplare, quæ intus; perspice cogitationes: cum sentis turbidum motum, & tumultum quendam; cum voluptas titillat, cum jam sic in periculo versans, præsentia & præsidio paræ disciplinæ tranquillitatem, & multam constantiam in anima vides, idq; fit in eodem, neq; multo intervallo temporis, quin potius sæpe numero puncto temporis.

At sæpe cum anima aliquid turpe appetit, & statim se cohibet, & sedationem perturbationis sibi affert, ac continuo quæ ad temperantiam pertinent, legit, cum hoc, inquam, fit, quomodo nõ est admirandum? quomodo nõ est dicendum, nihil esse proprium animæ? sed potius proprium ab anima fieri id, ad quod se vult applicare, nullamq; turpitudinem per se esse, quin immò tunc videri esse, cum cogitatione fingitur. Non sunt igitur turpia per se, sed cum mens ad ea deflexit, & facta est propensa, tunc consistunt. vnde scholis indigni anima, à quibus acumen, & splendorem caperet. Ex quo fit, vt sæpe secum loquatur scipsum excitans; aut ab alio excitata audit, Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius, & Lauda anima mea Dominum. aut enim rationibus excitata, & commota fortior facta est; aut alterius monita perfectum statum ei tribuunt. Sæpius verò se ad turpitudinem incitat & horratur, & quæ sunt absurda, sibi concedit, & clamat: anima habes bona posita in multos annos, comedere, bibere, latere.

Si animæ, quæ sibi suggerunt inhonesta, alia essent, ac per se essent; alia verò, quæ honesta, & temperata; dici posset esse duo genera animarum, & rursus eos, qui hoc dicerent, rideremus; essetque valde pudendum opinionis Manichæorum. quod insaniam in duo genera diuidant, qui & sibi repugnantia loquuntur; & non tenent cum honore opinionis suæ absurdæ confessionem. Quod si eadem sunt animæ, & anima, quæ paulò ante turpia sibi suadebat, suadebit sibi aliquando honesta. & quæ paulò ante ad honestatem se excitabat, quandoq; se in turpitudinem proiciet. & quæ aliquando honesta complexa est, & honore profecuta, aliquando illa deseruit, ipsa mutatione convincetur liberæ voluntatis esse.

Erat Demas cum Paulo, cum consuetudinem eius & familiaritatem magnificabat. Captus est cupiditate diabolica. reliquit con-

Pf. 102,  
Pf. 145.

Lut. 12,

a. Tim. 4:



secundum Apostoli, & factus fugitiuus, ad gloriam sæculi properabat; Demas, inquit, me reliquit, diligens hoc sæculum, & profectus est Thesaloniam: sequebatur aliquando Ciezi Elisæum, & ad inferendum ei se attemperabat, & ostensa opportunitate habendi pecunias, dimisit diuina, & acceptis nummis, mentem suam vendidit, & pecuniis addixit. Iudas è numero Apostolorum erat, expellebat aliquando febres, militauit contra demones, vnus erat ex iis, qui aiebant, Domine ecce demonia subiiciuntur nobis; & qui demones verberauit, paulo post hamo cupiditatis captus est: atq; hi quidẽ tales fuerunt participatione libera voluntatis ad res turpes traducti.

4. Reg. 5.  
Luc. 10.

Quid de Petro & Thoma dicitur? erat aliquando piscator Petrus, & malus erat, non enim erat expertus peccati, homo siquidem erat. reliquit sagenas, & pisces, & relictis omnibus sequebatur, vt solum Iesum haberet: & relictis primis, non desiderio suo frustratus, reperit, quod quæsiuit, & consueque progressus est, vt au-  
Mat. 16.  
diret: Tu es Simon filius Ionæ; tu vocaberis Cephias. quod nomẽ significat Petrum, vt audiret: tibi dabo clauis regni cœlorum; vt testimonium ei tribueretur, caro & sanguis non revelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. Postea lapsus est in verbo petulantii; & cum ad increpandum processisset, nec ab increpatione fugeret, audiuit: vade post me sathana, scandalum mihi es, quia non lapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. paulo ante clauis acceperat, & pater in eo loquebatur, Petrus pro Simone appellatus. Sed pro remuneratione increpationem elegit. veruntamen facta est lapsio medicina, & factus est melior, facta est increpatio domini remedium; & mens curationem amplexa est, & magnus, ac diuinus erat Petrus. & qui lapsum curauerat, nihil damni in eo, quod prius dictum est, fecerat. vt autem Dominus traditus est, & ducebatur ad atrium Pontificis, prodidit se, timori succubuit, ille fortis Petrus tremefactus est. qui clauis acceperat, periculum fuit, ne extra januam veritatis verum diceret. periculum fuit, ne se verè faceret anathema, cum munitus est. exinaniuit mentem, qui plenus erat; ab vna puella victus est. ancillam metuit, non potuit seruæ resistere. cecidit formidine consternatus, ille in Deum pius, ille Deo charus, ille qui illa insignia nouit: qui dominum vidit. cum hæc dico, non vt eum accusarem, dico. confidit enim me hæc dicere, vt veritas calumniam non subeat: pro defensione veritatis loquor. seruam veritatis adhi-

illa, dicit, quæ confessus est à Deo reuelata, tu es Christus filius Dei vi-

Handwritten text on the book's spine, including the letters 'HIC' and 'SIV'.

adhibeo, ne mendacium vincat. ministrum veritatis produco, vt quia volunt Manichæi naturas esse in culpa, & in naturæ rationem infaniunt, Petrus à me productus naturam demonstret. demonstrant enim multæ eius mutationes ea, quæ libera voluntas effecit. & euanesceat ortus rumor, siquidem libera voluntas præmia iudicii cõficit. electione enim (id est, ratione & voluntate) viuimus. electioni referuamus officia.

προαγγε-  
σθ' ἡμῶν  
ἐσόμεν.

1. Cor. 9.

Idcirco formido, ne in negligentia simus, siquid laboramus. vt cum non videmur muniti esse, de repente propter negligentiam in interitum cadamus. Propter nos dicit: castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. rationem de reprobo metuo. agnosco quod est in electione lubricum, & præceps. diligentia & accuratione procliuatatem præmunio. Sepio facilitatem liberæ voluntatis labore meditationis. Atq; hæc quidem Petrus, & loquitur, & scribit, & gaudet, quod & peccata ipsius, & virtutes sint explanatio dogmatum. Ob hanc causam peccata Sanctorum prodita sunt. Quid enim eis doleret, si eorum peccata tacita fuissent? Quis illa scripsit? an mali non accusauerunt bonos? an boni peccata bonorum non narrauerunt? alii verò sua? Paulus sua. Ioannes Petri peccata, deinde Thomæ, & alius aliorum. Si enim mali accusassent, reprehenderemus ordinem, & de inuidia atq; liuore quereremur, quod ista dixerunt, qui oderant. Sin verò ipsi sua, aut boni bonorum lapsus prodiderunt, quin potius Spiritus S. qui in Sanctis locutus est, & ipse Dominus delicta seruatorum suorum exposuit, & non silentio dissimulauit; causam quarimus. non enim ea dixerunt, vt criminarentur, criminationem enim eiecerunt & repudiarunt; sed si illorum peccata tacita fuissent, fuisse natura à peccatis alienos, suspicio esset. Pro veritate igitur commemorata sunt. & narratio peccatorum veritatem docet & explanat.

Ἐξ ἧς τὸ ἐ-  
γινετο,

O rem communem mirabilem! Scripta sunt Sanctorum peccata, vt sciatur veritas. quod ex similibus nati, & similiter orti, studio virtutis excelluerunt, qui non natura vicerunt, sed virtute claruerunt. quod si apud Petrum & alios Apostolos non natura, sed libera voluntas virtutem desinit; apud quosnam naturam peccati expertem inuenire possumus, si apud Apostolos non potuimus? vbi indagare poterimus? frustra & vanè quæ non sunt, curiosè inquirimus. en, Petrum interrogo; en, Thomam excutio, non loquor vetera. non comm-

commemoro David, tametsi debebam, ut à quibus optant ignorantes, inde accusationes ferant; ut de quibus libenter differunt, ab illis redarguantur. quia enim Euangelis studuerunt, ex Euangelis protulimus, unde conuincantur. Idcirco enim legem sine lege loquuntur, μη φιλολογῶντες; idcirco scientiam Euangeliorum non tenent, qui initium Euangeliorum non susceperunt, initium Euangelii Iesu Christi, sicut scriptum est in Esaia Propheta: hic principium disciplinarum repudiauerunt factò principio telarum, quæ in malicia ab ipsis texuntur.

Hoc dicit, quia negat Manichæi vetus testamentum, quod est noui fundamentum.


Qui beneficium suum in anima recondit, hic si ingrediatur, & intus sit, diuini conuentus fiunt in ea, & celebritates, quæ Sanctos decent, & chori, qui sermone exprimi non possunt, & lætitia, quæ silentio honoratur. Statim enim iste mentem erigit, atque animam reddit aligeram, & sublimem ad meliora efficit. Sane quidem, si quis illum uideret, non iam seipsum aspiceret, sed pulchritudinem, quam contemplaretur, obstupesceret, cætera omnia seceda duceret. Propter illius decorem clamat, vanitas vanitatum, & omnia vanitas, omnia existimo stercora, ut Christum lucrifaciam. Si uero hic pulset, & mens cunctetur, ac somno se dedat, sitque ipse tarditatis causa, emit tit vocem, aperi mihi foror mea, sponsa, quoniam caput meum impletum est rore. & cincinnati mei guttis noctis, hæc dicit, ut amicitiam delectet, & curam prouidam significet, & quod ratio exclusa tolerat; & cum foris est, sustinet, & non recedit, donec continua petitione, & pulsu seipsam mens aperiat, præbens locum pulsanti.

Circumeunt autem prestigiatores, & pseudoprophete, ac pseudo-christi, partim pulsantes, partim fodientes. ac pulsu quidem molliore utentes, & uerum pulsam imitantes, ut similitudine pulsus fortasse mens decepta, tanquam domestico, & noto aperiat. qui non recusant parietes labefactare, immò student perfodere, ut per fallaciam, aut per vim mentes capiant. & uero alios quidem uis alios præstigiis fraudulenti sefellerunt. Quamobrem sapientes & honesti custodes clauium scientiam cum uigilantia miscunt, ut quia uigilant, non perfodiantur parietes; quia sapientes sunt, non fallantur. Sapientia enim non præbet locum præstigiis, neque uigilantia perfodientibus. quocirca honesti, & honestæ qui sumus, mentes nostras clauem custodiamus, scientia quidem fraudem uincentes, uigilia uero nos ipsi à directione seruantes.

FINIS.

C

DIDY-



15  
DIDYMI ALE  
XANDRINI

LIBER

contra

MANICHÆOS.

*Nunc primum in lucem editus.*

Interprete

Francisco Turriano Socie  
tatis I E S V.



C 2

S.Hie



S. Hieronymus lib. de viris  
Illustribus.

**D** Idymus Alexandrinus captus à par-  
ua atate oculis, & ob id elementorum  
quoq; ignarus, tantum miraculum  
sui omnibus prabuit, ut Dialecticam quoq; &  
Geometriam, quæ vel maximè visu indiget,  
usq; ad perfectum didicerit. Is plura opera &  
nobilia conscripsit: Commentarios in Psalmos  
omnes: Commentarios in Euangelium Mat-  
thæi & Ioannis, & de dogmatibus, & contra  
Arianos libros duos, & de Spiritu S. lib. unū,  
quem ego in latinum verti: In Esaiam tomos  
decem & octo; in Osee ad me scribens, commē-  
tariorū libros tres, & in Zachariā, meo roga-  
tu, libros quinq; Commentarios in Iob, & infi-  
nita alia, quæ digerere proprii iudicis est. Inter  
quæ infinita, à S. Hieronymo silētio præterita,  
numerandus est etiam liber iste aduersus Ma-  
nichaos, DI-



DIDYMI ALE-  
XANDRINI LI.  
BER CONTRA MA-  
NICHÆOS.



Vlla oppositio contrariorum fit ex toto, quin sint in eis aliqua contrariorum communia. Verbi gratia, album quod est contrarium nigro, & nigrum in iis tantum, quibus differunt, contraria sunt, cum habeant alioqui communem colorem, & qualitatem: nihil enim eorum, quæ talia sunt, priorem oppositionem, quam communitatem habet. omnia enim post illa, quæ habent prius communia, oppositionem fortiuntur. in communibus autem non est contrarietas. oportet enim colorem esse, & qualitatem esse, vt sit album; similiter in nigro. ad eundem modum virtus & vitium prius conueniunt in communi ratione qualitatis & affectionis, quàm sint contraria. Si igitur duo principia ingenita sunt, & hæc sunt contraria: vel ex toto sunt contraria; vel sunt aliqua eorum communia: at nihil ex toto recipit contrarietatem, habent igitur hæc communia, esse scilicet, & substantias esse; & si quid aliud in eis commune reperitur. contraria verò ea facit esse alterum bonum, alterum malum; esse item alterum lumen, alterum tenebras. Prius autem cogitatur esse ea substantias, quam cogitentur esse bonum & malum. Contrarietas igitur non est circa communia, sed circa propria. positum autem est esse ea in-

C 3

genita,

nita, nihil autem est ante ingenitum. at est ante hæc contraria aliquid, id scilicet, quod dixi esse in eis commune. ergo non sunt principia ingenita; quia hæc ingenita sunt contraria. quod autem inest eis commune, ante ipsa contraria est, non sunt igitur ingenita principia, quia ante ingenitum nihil est.

Si verò dixerint, non esse contraria ratione ingeniti, reperietur igitur commune eorum hoc. Sed rursus quia malum ingenite est malum; & bonum ingenite bonum, reperietur ingenitum malum commune amborum; & ingenitum bonum commune item amborum. Si enim bonum sine ingenito non potest reperiri, commune autem est ingenitum; commune rursus erit, quod necessario sequitur ingenitum; hoc autem est bonum. si verò dicant non esse commune eorum, esse ingenitum: nam quatenus alterutrum est ingenitum, non est alterum ingenitum; erit igitur ingenitum vel bonum, vel malum, non autem bonum & malum. Quare si reperietur bonum ingenitum; malum erit genitum.

Aliter. Omne malum est puniendum, nihil, quod puniendum est, est incorruptibile. nullum igitur malum est incorruptibile, quin sit incorruptibiliter corruptibile. nihil corruptibile est ingenitum. est autem malum corruptibile. malum igitur non est ingenitum. Nul- lum est malum secundum substantiam, malum autem esse, est affectum esse qualitate malitiæ scilicet. at affectum esse qualitate non est substantia, malum igitur non est substantia. Omnia contraria se vicissim interimunt. quæ ingenita sunt, non intereunt, non sunt igitur contraria. contraria enim non sunt ab interitu libera. Nihil ingenitum est mutabile, mutatur a. hoc bonum a malo superatum, bonum igitur hoc non est ingenitum. Quod est ingenitum non expetit vllius interitum, malum a. expetit interitum; malum igitur non est ingenitum. Scripturæ diuinæ non solum malos, sed etiam ipsum diabolum dicunt afficiendum esse supplicio. quod autem supplicio afficiendum est, id omne mutabile est: nihil a. mutabile ingenitum est; nullum igitur ex malis ingenitum est.

Eorum, quæ ex toto sunt contraria, nihil est commune; quare omnino necesse est, vt quod vni inest, alteri non inest, inest autem bono esse ingenitum, malo igitur neutrum horum inest; quare malum non est ingenitum. Quicumque recte aliquid expetit, si recte expetit, expetito potitur. expetit a. Deus malitiã delere, igitur malitiã deleri potest. quod si deleri potest, delebitur; deleta a. non est ingenita. Si malum est ingenitum, natura ei inest esse malum; at nemo operas secundum naturam peccat; igitur



tur malū ingenitū nō peccat, q̄ autē nō peccat, nō est in culpa, & reus, reus autē, & in culpa est Satanas, Satanas igitur non est ingenitus.

Diuina scriptura hoīes vocat suarū actionū, & studiorū filios, & foetus, vt iracundos, aut alio peccato obstrictos, ita vt propter peccatū obnoxii sint irę supplicii de eis sumēdi. & filios irę nominat. Paulus itaq; de se, & de similib. Sāctis ait: eram us natura filii irę, sicut & ceteri homines, q̄ hucusq; in peccatis fuerūt. illud a. q̄ appositū est, natura non secundū naturā significat, sed verē. Erasmus. n. inquit, natura filii irę, vt declaret, verē esse obnoxios irę eos, qui peccant. Sicut ergō filius irę efficitur, qui admittit peccatum, sic qui ab eo se ad virtutem transtulit, filius veritatis, ac virtutis. Sic dictū est de quibusdā à Saluatore, justificata est sapientia à filiis eius, filios sapientię appellat sapientes, etenim quia, qui sunt filii alicuius, ab eo, qui generauit habent, vt sint: habēt a. q̄ qualitate affecti sunt, à qualitate ipsa, vt tales sint, quales sunt. idcirco rectē & cōueniēter filii qualitatis nominantur. Sicut enim sapientes quosdam. Dñs filios sapientię appellauit, sic alios filios pacis nominauit, cū dixit discipulis, si ingressi fueritis in ciuitatem, vel domū, & ibi fuerit filius pacis, pax vestra, data scilic. ciuitati, vel domui, requiescet super filiū pacis, qui ibi erit. Rursus idem Saluator prudentiores, inquit, sunt filii huius sæculi, quā filii lucis in generatione sua; filios lucis vocat illuminatos cogitatione veritatis, & operibus virtutis, quibus dicit tanquam luminibus, quia facti sunt filii lucis, vos estis lux mundi, eos autē, qui dilexerunt hanc vitam, & ad eam quæcunq; faciunt, referunt, filios sæculi huius nominauit.

Ephes. 2.

Mat. 23.

Luc. 10.  
Luc. 16.

Sed licet dixerit prudentiores esse hos filios lucis, non simpliciter dixit esse prudentiores, sed in generatione sua, id est, in rebus ad hoc sæculum accommodatis, prudentiores sunt filii lucis. sunt enim sapientes ad malefaciendum, vt autem bene agerent, intelligere noluerunt. & de Iuda scriptum est, quod esset filius perditionis. Sic enim Dominus de eo dixit: nemo ex discipulis meis periit, nisi filius perditionis. Filium perditionis vocauit, quia fecit, quæ digna interitu erant. non enim cum erat vnus ex Apostolis, & vnā cum illis ministrabat Saluatori, talis erat; sed cum factus est proditor filii Dei, & Magistrī, amans argentum perditionis. Et quia nō erat natura malus, pariter cum aliis discipulis omnibus audiuit; ecce ego mitto vos tanquam oues in medio luporum, si lupos dicit eos qui peccant, oues verō eos, qui virtuti operam nauant. Iudas autem natura malus erat, non erat ouis Christi, quia nō est aptus ad vacāndum

dum virtuti, qui natura malus est. Immo nec ipse diabolus, secundum naturam malus est, sed ex mutatione liberæ voluntatis.

Sicut igitur non solum prauarum actionum & studiorum, sed honestorum filii vocantur, qui ea, ut diximus, exercent, sicut dicebantur scetus qualitarum, qui ab eis accipiunt, ut tales sint, quales sunt, quod quidem ab ipsa qualitate proficiscitur: sic caro peccati, & corpus peccati non simpliciter dicitur, sed quia homo seruit peccato, homo enim corpore, & carne ad libidinem, & alias huiusmodi operationes abutens, corpus suum corpus peccati facit, & carnem carnem peccati. Sicut rursus studiosus & honestus per temperantiam, & virtutem, quæ inde sequitur, corpus suum & animam sanctificat. Virgo itaque sancta efficitur corpore & spiritu, qui est anima, sicut Paulus scribit, cum ait: oportere virginem esse à rebus vitæ huius expeditam & liberam, ut sit sancta corpore & spiritu. Immo etiam in Epistola ad Corinthios scribit: Glorificate Deum in corpore vestro. Si autem glorificatur Deus in corpore hominum, & Deus non glorificatur in malo, non est igitur corpus natura malum: quamuis malum esse faciat peccator, cum ipso vitetur peccando.

1. Cor. 6,  
1. Cor. 7,  
1. Thess. 5,

Et paulo post eosdem rursus alloquitur, inquit, ac nescitis, quod corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, quem à Deo habetis? Si quis templum Dei violauerit, disperdet eum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Et in epist. ad Thessa. scribit idem Apostolus: Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Quomodo autem potest quis per omnia sanctificari, & corpus suum habere integrum, cum corpus non sit aptum ut sanctificetur, si malum est. Si enim natura malum est, non potest recipere sanctificationem. Si verò recipit, liquet non esse natura malum, cum bonitatem recipiat. quod enim natura malum est, non potest capere bonum; sicut rursus, quod natura bonum, non potest capere malum. In altera epistola scribit idem Apostolus ad quosdam: Emundemus nosmetipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei. Hac voce *emundemus* declarauit, esse carnem aptam natam, ut repurgetur à contaminationibus, quæ ex peccato ad eam accedunt. similiter in spiritu & anima. Quod si caro secundum substantiam esset mala, & spiritus secundum substantiam esset bonus, neque spiritus inquinaretur; neque ab iniquatione mundaretur. Præcipit autem utrumque

ab iniquatione mundare, exprimens etiam modum mundationis, perficientes enim inquit, sanctificationem in timore Dei. illud vero etiam rectè, quod ait in timore Dei, vt doceat, habere homines e se, vt obediant, non autem ex necessitate.

2. Cor. 7.

Quòd si perficientes sanctificationem in timore Dei carnem nostram & spiritum ab iniquatione mundamus, perspicuum est fieri hoc accessione sanctitatis. sicut enim ab ignorantia & iniustitia anima repurgatur, cum scientia & iniustitia adest, fuga enim vitii aditum virtutis efficit, sic adueniente sanctificatione, caro & spiritus ab inquinamento mundantur. spiritus autem in his animam significat. Sicut in Actis etiam Apostolorum Stephanus cum lapidabatur & erat prope moriens, preces Deo adhibens, Domine Iesu, inquit, accipe spiritum meum, nihil aliud hic dixit spiritum suum quàm animam suam. Si igitur caro & corpus quandoq; peccati, aliquando sanctificationis dicitur, & ad glorificandum Deum adhibetur, nihil horum natura malum vel bonum est; sed potius vtrumq; libera voluntatis potestate recipere potest. & vsus eius, qui carnem & animam habet, facit, vt nunc sit caro peccati, nunc caro sanctificationis.

Act. 7.

Quòd si ita putant, qui non intelligunt quod scriptum est, vnde proferunt, esse carnem peccati, nos tamen id ipsum integre recitantes, sententiam perspicuam reddemus. Sic enim habet: Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, de peccato peccatum damnauit in carne: huiusmodi est, quod dicit: caro omnium hominum ex coniunctione viri & feminae existit, excepta carne primi parentis, & ea, quam Christus assumpsit. non enim aliter corpus hominis fit, nisi corpora maris & feminae misceantur. Igitur quia Saluator ex sola virgine corpus assumpsit, quod non duxit principium ex coitu, idcirco carnem Domini similitudinem carnis, quæ ex coitu existit, vocauit, non enim simpliciter dixit, habere eam similitudinem carnis, sed similitudinem carnis peccati. similitudo autem carnis peccati caro est, hoc solum ei ex aliis carnibus defuit, quod existit sine viri semine. oportebat enim, vt qui ad salutem hominum veniebat, non acciperet corpus ex coniunctione viri; neque rursus extra successionem hominum, sicut primus homo, ne corpus eius alterius generis esse putaretur. Etenim si ipse etiam ex terra formatus fuisset, sicut fuit princeps generis humani, suspicionem cepissent, qui apparitionem perfectionem introducunt, non

Rom. 8.

D gestasse

gestasse re & veritate corpus hominis. Rursus, si corpus ex coniunctione sumpsisset nulla differentia, existimatus utiq; esset obnoxius esse illi peccato, cui per successionem erant omnes ex Adam perfecti & orti.

Si verò dixerint, si caro peccati est, quæ ex coniunctione viri & femine, nata est, male sunt nuptiæ: audiant isti, quod ante aduentum Saluatoris, qui abstulit peccatum mundi, si omnes homines, sicut alia cum peccato agebant, sic etiam nuptias cum peccato habebant. Vide similiter de corporibus ex connubio natis, intelligendum est, quia post peccatum facta fuit coniunctio Adæ cum Eua; idcirco dicta est caro peccati. Qui enim erat ante peccatum immortalis, factus est per peccatum mortalis, atq; ita successio mortalitatem habet. Similitudinem igitur huius carnis habebat Christus, tamen caro eius non vidit corruptionem. veruntamen per aduentum Christi, sicut ab aliis rebus ablatum est peccatum, sic etiam à nuptiis. itaq; nunc, qui secundum Euangelium viuunt, habere possunt honorabiles nuptias, & torus immaculatus, sicut Paulus scribit fidelibus, honorabiles nuptiæ, & torus immaculatus. fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. distinguens enim nuptias honoratas, & eos, qui eis vtuntur; à scortatoribus & adulteris, non scortationem, nec adulterium vult esse nuptias. ex quo fit, vt neq; peccatum sit coniugium.

*Alia cum peccato agebant, id est, nondum peccato per Christum redemptoribus ablato, similiter nuptias cum peccato habebant. Est etiam homines ante Christum agere, & nuptias sine peccato habere poterant, & iusti re ipsa quoque habebant, sed beneficio Christi veniunt.*

Aliter etiam dici potest magis physice, Diuina quædam res est virginitas, & tanquã in virtutibus existit. si quis igitur nuptias cum virginitate conferens, ipsas dicat peccatum esse, non absolute sunt peccatum; malum .n. non cõparatione boni malum est, siquidẽ per se tale est. si quãdo igitur aliquid malum dicatur cum bono collatum, ipsum etiam sic collatum, minus bonum fuerit infra bonum antelatum. Qui igitur ad Euangelium accedunt, ad id imprimis, ac præcipue accedunt, vt Deum colant, & secundum Deum sapientes euadant, hos sequitur oppugnari ab aliquibus; siquidẽ oportet firmè Christianam religionem suscipere. Cõparatur autem firmitas exercitatio ne cõtra tẽtationes suscepta, vnde necesse est eos subire certamina. & sicut qui præmia in certaminibus proponunt, si ratio postulat, curant, nõ fortuito hunc pugilẽ cum illo committunt & conferunt, sed proportionem virium cuiusq; valde diligenter animaduersa, & considerata: sic nostri certaminis & præmii iudex, non omnes cum eisdem aduersariis copulat, sed potius pro ætate & viribus cuiusq; aduersarium exhibet.

*duz evyvu et.*

Corin-

Corinthiis igitur, cum essent pueri, scribit Paulus, adhuc tene-  
ri eos passionibus carnis. tentatio, inquit, vos non apprehendit, nisi  
humana; horum enim tentationes & certamina ad res humanas re-  
feruntur. de se autem, & de similibus, & æqualibus, & æquè robustis  
scribit, non est nobis colluctatio aduersus sanguinem & carnem,  
sed aduersus Principes, & potestates, & rectores mundi tenebrarum  
harum: quæ perinde sunt, vt si diceret, vobis, qui altius ascendistis,  
non est pugna aduersus carnem & sanguinem, id est, aduersus hu-  
mana, sed aduersus superiores ordines aduersariorum. hi autem sunt  
species rationalium prauorum, qui voluntate tales euaserunt.

1. Cor. 10.  
Ephes. 6.

Nemo verò existimet, cum diximus species rationalium pra-  
uorum, substantiam prauam nos dicere. Sunt enim species & genera  
etiam eorum, quæ voluntate fiunt. dicimus igitur esse species hone-  
sti iustum, temperantem, prudentem, fortem. quia enim virtus, quæ  
genus est, in species distribuitur iustitiam, temperantiam, & reli-  
quas; necesse est, qui genus participat, id est, honestus, genus sit eorum  
qui participant species virtutum. Similiter cum scientia genus sit  
Grammaticæ, Musicæ, & aliarum, quæ nominantur à genere scien-  
tiæ, necesse est, scientem, genus esse, quod species, quæ à scientia no-  
minantur, continet. Cum igitur species prauorum rationalium dici-  
mus, omnes, qui subter has species referuntur, voluntate prauos esse  
dicimus: ita sit, vt nomina praua, quæ diximus, non substantias de-  
clarent, sed voluntates. Diaboli enim nomen non substantiam,  
sed voluntatem declarat. Ac Iudam quidem, cum homo alioqui esset,  
diabolum dominus nominauit nõ propter substantiam, sed propter  
voluntatem, cum numerans Iudam in discipulis, dixit eis, nonne  
duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Et subiungit  
Euangelista, hoc autem dixit de Iuda, qui eum proditurus erat. Si  
enim propter futuram proditorem diabolus vocatus est, non iam  
tunc diabolus erat, quando cum omnibus electus est. electus enim  
cum omnibus est propter virtutem, quæ tunc in eo erat. tunc a. ap-  
pellatus est diabolus, quando quæ ad proditorem spectabant, ope-  
rabatur. Si ergo in Iuda nomen diaboli actionem ex voluntate decla-  
rat, similiter et si de alio quopiam dicatur, aliquid voluntatis signifi-  
cat. nouit autem consuetudo vsus nominis huius.

Diabolos itaq; vocamus eos, qui accusant, hi illos, & illi hos. vnde  
quæ diabolus Deum accusat apud homines; & hoies apud Deum, & hoies  
apud eos ipsos inter se, hoc nomen sortitus est: quod si nomen Sata-

nae etiam de ipso diabolo dicitur, sciant, hoc ipsum nomen aliquid etiam voluntatis declarare. vox enim Hebraica Sathanas nihil aliud significat, quam ἀντικείμενον graece, id est, aduersarium. aduersarius autem si de homine accipitur, idem est, quod inimicus nocēs. Sicut igitur inimicus voluntate est inimicus; sic etiam aduersarius; sicut etiam horum contraria, amicus enim, & beniuolus, & concors, & idem sentiens, nomina sunt, quae voluntatem declarant; dicitur enim hic amicus, & beneuolus, sicut dicitur diabolus, & sathanas, & malus. Sicut Saluator in Euangelio praeter alia, hoc etiam docuit discipulos precari, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. etenim & nomen mali voluntatem declarat.

Si igitur in omnibus nominibus, quibus significatur princeps malorum, & primus, qui a virtute defecit, voluntate talis est, non potest secundum substantiam esse malus. quod si dixerint, cum esset substantia, ac natura malus, voluntate etiam habuisse illa ipsa, quibus sic nominatus est; Sciant isti, quod in iis, quae ad substantiam pertinent, non assumitur voluntas. nullus enim dicit, voluntate esse animal, aut lapidem. haec enim εἰσώδη sunt, id est, ad substantiam pertinentia. quare nihil hic voluntatis est. in illis enim sunt ea, quae ad voluntatem spectant, in quibus est voluntas.

Sed fortasse dicent, cur eum, qui futurus erat perniciosus, & pestifer, bonus Deus produxit? sciant qui hoc dicunt, non solum nobis repugnare, sed omnibus, qui prouidentiam Dei ponunt. Multi enim alii, qui prouidentiam ponunt, omnes animantes rationis participes ex Deo esse dicunt, in quibus vitium oritur. Si igitur haec de diabolo dicunt, de omnibus etiam ratione praeditis coguntur hoc dicere. Nos tamen, qui istos non sequimur, dicimus, non esse auctorem vitii, qui eum fecit, qui potest sua propensione, ac nutu ad vitium venire. Animal enim rationis particeps fecit Deus, quod volebat, ut voluntate sua bonum esset, libera alioqui potestate praeditum, qua posset in vtramque partem flecti. volebat enim ut homo esset bonus, eligendo sponte bonum. nemo enim inuitus potest esse bonus, quin potius omnes boni volentes sunt boni. quare oportebat, ut qui voluntate sua futurus esset bonus, potestatem haberet, qua idoneus & aptus esset ad capiendum, quod bonum & honestum esset. Consentaneum vero erat, ut quod bonum capere poterat, posset item malum. Sic fabricato rationis particeps, ut ad capiendam virtutem & vitium vim insitam haberet, datum est mandatum.

vt

ὅτι τοῖς  
ὀφθαλμοῖς  
οὐκ ὁρᾷται  
οὐκ ἔστιν  
ὡς οὐρανόθεν  
ἐστὶν  
Sicut ad  
substantiam  
pertinent  
ea, in quibus  
substantia  
est, sic  
ad voluntatem  
ea, in quibus  
voluntas.

vt virtutem haberet actu, vitium verò non actu, sed sola aptitudine. Lex enim creatoris hortatur, & roborat atq; adiuuat ad virtutem, dehortans naturam à vitio.

Quamuis igitur insit potestas in compote rationis ad capiendum vitium, non propter potestatem est malus iste: vtrorumq; enim, virtutis scilicet & vitii, sunt potestates, & electiones. eligimus enim habere potestatem virtutis, vt eam actu capere possimus, eligimus etiam habere potestatem vitii. tunc enim habemus eam, cum actu virtutem habemus. neq; nostra solum est hæc opinio, sed omnium, qui rectè de animalibus ratione præditis philosophati sunt. licet igitur substantiam, quæ diabolus nominatur, Deus fecit, non tamen fecit, vt esset diabolus, sed vt virtutem suscipere posset, vt eam haberet; & vitium item suscipere, vt ab eo abstineret. Etenim quia non potest virtus cum vitio simul arripi, est autem amica Deo virtus, vtriusq; potestatem immisit vtenti ratione, vt potestatem quidem virtutis ad suscipiendum actum illius participaremus; potestatem verò vitii ad abstinendum à sine potestatis, qui est actus. Quare omnis particeps rationis factus est, vt esset probus, & non prauus.

ἀριστοτ.

ἀδυνάτῃ  
παντοτ.

Si quis igitur ratione vtentium, via auctori, & gubernatori contraria ingressus est, non est culpa fabricatoris & legislatoris, sed eorum, qui contra leges sancitas, & earum prouidentiam vires intenderunt. videmus hæc semper in nobis ipsis accidere. quæ enim filios docemus, cum volumus eos secundum disciplinam instituere, vt disciplina vtantur, non sic tamen vtuntur, vt instituti à nobis sunt: immò contingit aliquando, vt multi filii à patribus in arte medicinae eruditi, non vt oportet, arte vtantur, sed potius pro salubribus, quæ morbos inducunt, ægrotis adhibeant; non est tunc accusanda medicina, nec est in culpa, qui eam docuit, non enim sic is docuit, vt sic iste faceret. facit enim non vt didicit.

Rursus leges quosdam docemus, vt iustitiam defendant, & iniustitiam repellant. Sed tamen vitiosè aliqui exiis, qui ad studium legum accesserunt, contra, atque didicerunt, faciunt, neque tamen continuo leges aut legislatorem criminamur: si enim leges & legislatores iniustitiæ rei essent, non punirent iniustos. siquidem hæc est legis, & legislatoris voluntas, ac sententia, puniendum esse iniustum. & Deus punit Sathanam, & eos, qui leges à Deo latas, transierunt, quibusdam enim prauis dicit, mitite in ignem æternum, qui

παιδείᾳ  
τιόντων.

Mat. 23o

præparatus est diabolo, & angelis eius. Sciant igitur qui contra hæc dicunt, dicere eos secum pugnantia. Si enim secundum substantiam diabolus malus erat, & à bono Deo alienus, & par viribus esse poterat. neq; præparasset ei Deus supplicium; neq; mittere eum in supplicium potuisset. dicit tamen præparatum esse ignem Diabolo.

Hoc etiam dicendum est, si bonus Deus immutabilis est, ut quid est, & easdem vires semper habet, & non aliud alius potest, & alius aliter, futurum autem erat, ut post multam noxam, multamq; cladem eum igni sempiterno traderet, quare non hoc à principio fecit, cum se in Deum extulit, & partem eius occupavit? justiores enim tunc poenas in eum decreuisset, utpote in eum, qui in maiorem peccasset. Nunc enim hominibus nocet; tunc autem istorum opinione ipsi diuinitati nocuisset, sicut ipsi sentiunt, lex autem & indignatio justior est contra eos, qui in regem audent, quam qui in aliquos, qui regi obediunt. Si enim sic ipsis de his sentiendum est, aut dicturi sunt igno rare tunc Deum quomodo vlturus esset, & malum impediturus; aut nõ potuisse: at neutrum horum bono Deo tribuendum est. non igitur inimicus Dei ingenitè, contra eum se extulit, sed potius factus aliqui ut esset bonus, potestatem virtutis capiendæ imperfectam & mancã seruauit; potestatem verò vitii suscipiendi ad actum perduxit; vnde puniendus fuit & merito post supplicio affectus est.

Luc. 9

Si verò illud obiecerint, quod à Ioanne Baptista dictum est, serpentes genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos poenitentiae, & nolite dicere in vobis ipsis, patrem habemus Abraam; potens n. est ex lapidibus istis suscitare filios Abraæ. jam securis posita est ad radicem arborum. ois arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur: audiât isti, non posse eos Ioannem Baptistam obiicere, qui fuit veteris testam. eti, quod non recipiunt. nihilominus tamè hic contra istos dicendum est, per totum contextum negare Ioannem esse natura bonos, aut natura malos; ait n. illis: facite igitur fructum dignum poenitentiae. Poenitentia a. & fructus eius nõ cadit in malum secundum substantiam, nec in bonum natura. Quomodo enim qui semper bonus est, poenitentia indigeat? aut quomodo natura malus bono poenitentiae vtetur? Qui n. secundum substantiam malus est, nõ potest à peccato dimoueri, nec utilis esse ei poenitentia: tunc etiã ex lapidibus ostensis dicit excitandos esse filios Abraæ; lapides vocat obstinatos, & adhuc in peccato permanentes. si nãq; eos poenituerit, & deo crediderint, erunt filii Abraæ, q. ideo homo Dei appellatus est, qui in Deum credit, ita ut fides ei reputata sit ad iustitiam. Quia

Homo Dei in nostro exemplari amicus Dei legitur,



Quia verò illud etiam ab istis dici audiimus contra eos, qui ex Abraham, & aliis sanctis viris generati sunt, quod dictum est. serpentes genimina viperarum, Abraham & Abramam significare, intelligant illi dicere se, quæ cum consequentia capitis pugnant: arguit enim eos, quod non essent filii Abraham, sed potius genimina viperarum, dissimulata, & frustra se ex Abraham ortos gloriarentur. ait enim illis Saluator in alio capite: Abraham non fecit, quem vos patrem vestrum dicitis mētientes. Si enim filii Abraham essetis, faceretis utique opera Abraham: sed vos ex patre vestro estis diabolo, & desideria patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio; & in veritate non stetit. bene habet, quod dixit, non stetit, quod quidem declarat, stetit ipse prius in veritate. patrem autem eorum vocavit diabolum, propter similitudinem mutationis & qualitat. Quare non Abraham & Sanctos cum eo vipers appellavit. ut enim filii viperarum essent, ex mutatione habuerunt, quia malis magistris vsi sunt volentes, sicut diximus:

Ioan, 8.

Ait igitur illis Ioannes, quando quidem auersi à virtute, serpentes fieri voluistis, (non enim natura tales erant) definite esse serpentes viperarum, quarum qualitatem habere voluistis, quandoquidem pravi ex pravis, & iniqui ex iniquis studuistis esse, sed quia dicitis ferre vos signum penitentiae eò, quod ad baptismum venitis, hoc autem simulatè facitis; idcirco dico vobis, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Quem enim peccasse penitet, ideo penitet, ut non amplius peccando ab ira in peccantes futura fugiat. rogat autem inquis, quis vobis ostendit? ut sit perinde, ac si diceret; qui legitime ostenderit se à vitio recedere, non simulabit fieri hoc, vos autem hoc facitis simulatè, cum ad baptismum venitis: non igitur mudabimini. Qui enim vult verè mundari, à peccatis desistit, & huiusmodi penitentiae fructum affert, faciens opera habitus peccato contrarii. hoc vos non fecistis, qui vos condemnastis, cum diceretis, habere vos patrem Abraham, sed hoc non iuuabit, putare habere vos patrem Abraham, sed esse eius filios fide, & fuga idolorum. Quamobrè tamen si aliquando filii Abraham fuistis, non hoc vos saluos faciet. eos namque qui nunc non sunt filii Abraham, potest Deus filios eius facere. Quare saluus euadit, qui est filius eius secundum virtutem, non qui secundum carnem. Quod si fuerit secundum carnem filius Abraham, ne gloriatur, & se jactet; potest enim quod huiusmodi est excidere, & transferri. Sanè quod dicitur, & qui non potuerunt hoc nancisci, ut filii scilicet Abraham es-

hæ cf.

1. Cor. 4.

hæ essent secundum carnem, poterunt nihilominus esse filii Abrahæ. Etenim Paulus, quos non generavit carne, dicit in Christo; per Evangelium ego vos genui. Verum cum hæc auditis, ne contemnatis, quia ira in eos, qui peccant, retardetur, jam enim in eo ipso, quod peccat nequam, præfens habet supplicium, quo afficiendus est. Quamobrem scitote jam securim radicibus arborum propinquare. radices vocat non eas, quas videmus, sed homines qualitate vitii affectos. Radix enim harum arborum est pessimus habitus, ex quo fructus non idoneus ad vescendum, sed venenatus, & pestifer nascitur. ipsum igitur vocavit fructum non bonum. Itaque quamvis securis supplicium significat, arbor verò hominem peccantem, non sunt hæ naturæ pugnantés: proponuntur enim minæ supplicii ad mutandum arbores. Qui enim minatur delinquentibus, per minas ipsas mutare vult. Quare si per comminationem securis, qua sunt arbores putres excidendæ, suadet ipsis, ne malum fructum ferant, sed bonum, non est natura mala arbor, neque natura malum supplicium.

Sed fortasse dicent, Si vitio mutat malos, bonum est vitium esse; si autem bona est animadversio & supplicium, contraria auté supplicio est promissio, & contraria non possunt simul esse bona, promissio igitur mala est; at promittit Deus hanc: non est igitur mala, quod si promissio nō est mala, sed bona, supplicium est malum, quod si malum est supplicium, non Deus, sed Satanus illud infligit. infligit autem non suis, sunt enim & ipsi mali, & necesse est ipsum etiam Satanam subire supplicium, restat igitur, ut bono & non malo infligat: at fieri hoc non potest: non igitur Satanus illud infligit, sed Deus. Omne autem, quod à Deo infligitur, vtiliter infligitur, cum sit bonum, vel efficiens bonum, vel prohibens malum. Deus igitur volens prohibere malum, supplicium constituit: non autem aggrediretur prohibere malum, nisi malum probiberi posset. hoc verò prohibitum, non potest esse natura, & ingenitum. lapsi verò etiam in hoc sunt ineruditi, qui animadversionem contrariam esse promissioni putaverunt. Vtraque est enim remuneratio; promissio quidem remuneratio bonorum, quæ mercedem illis affert, animadversio verò malorum, quæ mercedem solvit

illis, qui voluntate diuinas leges  
violauerunt.


F I N I S.

Ad



## Ad Lectorem.

**H**ucuso hoc Didymi contra Manichaeos opusculo, incidimus in primū Tomum Apparatus sacri R. P. Antonij Possuini, Societatis IESV Theologi, in quo illud ipsum Didymi opusculum typis descriptum inuenimus. Quod te nescire nolui, Lector, ut non mihi, sed R. P. Possuino; (qui versionem Didymi calamo exarata[m] ad nos miserat) tanquam primo editori gratias persoluas.



E T L



31.  
TITI  
BOSTRENSIS  
EPISCOPI  
LIBRI TRES

Vnà cum argumento libri quarti aduersus  
Manichæos,

*Nunc primùm in lucem editi.*

Interprete

Francisco Turriano Socie-  
tatis IESV.



E 2 S.Hie



## S. Hieronymus Catalog.

script. Ecclesiast.

**T**itus Bostrenus Episcopus sub Iuliano & Iouiano Principibus, fortes aduersum Manichaeos scripsit libros, & nonnulla alia. Moritur autem sub Valente. Hec S. Hieronymus. Scripsit etiam Commentarios in Euangelium S. Luca, qui Graecè exstât in Bauarica Bibliotheca. Latine vertit & publicauit Theodorus Peltanus Societ. IESV Theologus. Plura de Tito Baronius Tomo IV. Annalium, anno Christi 362. num. 154. & anno 363. num. 142.

Trithem. de script. Eccles. Titus Episcopus Botrenns, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis egregiè doctus, ingenio acer & vehemens, multa fertur cudisse opuscula, quibus memoriam sui nominis cum gloria transmisit ad posterorum

rum

rum numero subiecta feruntur. Contra Manichaeos libr. 2. Commentariorum Euangelij lib. 1. Et alia complura. Claruit anno Domini 340. Et sub Valente Imper. mortuus est. Hac Trithemius, qui errat, cū ait duos tantū libros contra Manichaeos scripsisse. Constat enim fuisse quatuor: quartus autem in nostro apographo desideratur; argumentum tamen illius superest.



E 3

TL



TITI EPISCOPI  
BOSTRENSIS ADVERSUS  
MANICHEOS

Argumenta quatuor librorum.

*Argumentum primi libri.*

*Argumen-  
ta hec ex  
Græco  
versa  
sunt.*

**P**rimus liber continet confutationem præcipuorum capitum, quæ sunt penitus aliena, & cum communibus notionibus natura in fitis, & anticipatis pugnantia.

*Argumentum secundi libri.*

**S**ecundus liber docet, & explanat non peccare hominem ex quodam malo æterno, & sine principio, ac Deo contrario, quod quidem non est. & nullum esse malum secundum substantiam in iis, quæ sunt esse; nec ullam inæqualitatem in nostris rebus, ac vanè & valdè impiè gubernationem vniuersi improbari, & reprehendi. Deniq; omnem de prouidentia disputationem summatim complectitur, docetq; minime



minime necesse esse suspicari, ex rebus vllum esse  
se secundum principium Deo contrarium.

*Argumentum tertij libri.*

**T**ertius liber pro lege, & prophetis disputat. quippe cum totum vetus testamentum à Deo datum sit; & nihil eorū, quæ in eo facta, aut dicta sunt, probabilem accusationem eius, qui fecit, & dixit, habeat; sint quæ omnia cum nouo testamento consentientia, vt nec ex hac parte necesse sit cogitare aliquod secundum principium Deo contrarium.

*Argumentum quarti libri.*

**Q**uartus liber nouum testamentum ab illorum Blasphemia in Deum defendit; vt qui nullam prorsus communionem cum eo habeant; & frustra, ac vanè quasdam partes eius ad constituendam suam impietatem per vim trahant. quodq; id, quod diabolicè subiiciunt, nihil eos iuuat ad ea stabilienda, quæ contra Deum dicunt.

*Este liber quartus non comparat in nostro apographo.*

TITI



TITI EPISCO-  
PI BOSTRENSIS  
CONTRA MANI-  
CHAEOS  
LIBER I.



Vibus studium est, causas eorum, quae homines peccant, à Deo remouere, aiunt, sanctum, & verum esse Deum. huc spectant tales, & hoc eis, propositum est tueri. Cum enim non negant, procurare Deum res nostras, rectè, ac verè hominibus peccata eorum assignant, alioqui parum quid sanare qui voluerunt, in grauiorem & difficiliore impietatis aegritudinem inciderunt; Dei providentiam, quae in vniuersitate rerum cernitur, negantes. Manichæus verò, qui à barbarie & furore nomen ducit, nocentiore adhuc contra impietatem remedio abusus est; cum enim demonstrare voluisset, non esse Deum auctorem mali, malum ei opposuit ingenitum, vt ait, ingenito, viuū viuo, semper obfistens ac repugnans, & nunquam non negotium & molestias inferens, quodq; ab eo funditus extingui & interire nequeat, vtpote aeterna, & completa substantia, tanquam ingenita: sic fugiens fumum, vt est in prouerbio, in ignem incidit. Etenim ne videatur Deus, vt Manichæus existimat, nostrorum malorum esse in causa, ex toto quodam, & integro malo apud se fructum fingit percipere. Quid enim, si res tractat Deus, vt Manichæus ait, toleranter & sapienter? at nunquam opinione huius, bello & pugna carebit;

quo

2. v. 1. 5. v.

quo quid potest de Deo quod minus eum deceat, cogitari?

Quod pius quidem sit apud homines, totis viribus confiteri Deum non esse iniuriarum, & maleficiorum auctorem, prima doctrina Ecclesie Catholice studuit profiteri. Cum autem querimus, quomodo nos peccamus nolente Deo, ut peccemus? de grauioribus nos Deum accusamus, cum a leuioribus eum, sicut ille, defendere volumus.

Sed qui viam veritatis ex sanctis scripturis & ex communibus notionibus cognitam habemus, pergamus firmè ad talem quaestio- nem, piam argumentationem pro Deo concludentes, nos ipsos studio veritatis accusando: non enim ut verbo accusationem eorum, que in nos inter nos peccamus, declinemus, decebat in Deum impios esse, poscentes ab eo, qua sunt contumeliosiora omnibus, & qua nequaquam sunt.

Præterea qui existimamus peccata apud homines sanabilia esse, utpote qua non à principio quodam contra eos effluant, sed alio modo à nobis fiant, quem disputatio suo tempore explanabit, non solum non sumus in Deum impii non audentes coniecturam facere non posse Deum propter difficultatem resistere vitio, quod ei non inest, sed qua à nobis vitiosè aguntur, nitimur in eis cessare, cum iis, qui aduertunt, demonstramus, qua à nobis principium ducunt, ut fiant, per nos etiam, ne fiant, finem assequi, tametsi non apud omnes, non enim hoc generale in singulis est, sed in singulis eorum, qui studium adhibuerunt, iudicium tamè vniuersi est, posse esse in singulis. verum tamen qui barbarè cum impietatem excogitauit, fingens malum sine principio, contra Deum verè principio carentem, ac solum, & hoc secundum principium insanè constituens, non solum malum collocat in ordine æquali Deo, tamquam hoc honorare velit, quod scilicet odit, sed mala, qua ex malo, quod principio caret, insanabilia penitus esse, cum necessariò affirmat, facit infidiosè, ut existiment qui ei credunt, iniustitiam non posse apud homines corrigi, ita ut anticipata voluptate peccatorum, pro conuersione desperatio obiciatur, quasi fieri non possit, ut impetus vitij, quod principio caret, coërceatur. præterquam si quis cupiditate gloria, quod plus boni, ut isti fingant, habere videatur, studium adhibeat, ut, quo ad fieri potest, non peccet, ut manifestum faciat, non aliundè, quam à se peccatum proficisci. Existimabitur tamè apud ipsos melior esse propter admixtionem nature, qui non natura, sed labore, & sudore usus est, qui quidem putabit se laudari cum alioqui vera laude priuetur, veram. n. glori-

gloriam ex labore ac studio virtutis proficiscentem relinquēs, si quidem pietati erga Deum studebat, necessitatem naturæ rapinam esse falso ducit, qui vtilitatem industriæ ad impietatem in Deū adhibet, vt nec animus ignauit & inertitæ dedit, cum malè agit, pungatur, si qui dem alteri cuidam principio actiones adscribit: neq; qui studio vti, laude dignus habeatur, quippe q. in id cogitatione incumbat, q. est omnium atrocissimum, institui scil. ad impietatem aduersus Deum.

Cum verò Manichæi ratione creationis mundi à Deo facti non intelligerent, non solum actiones hominum à ratione auersas excutientes, eo modo, quæ diximus, lapsi sunt, sed etiã plurimas creaturas, immodè ferè oia in crimen vocauerunt, quæ nullâ tamen vituperatione verè admittunt, mala autè hæc appellauerunt, in aliis q. de missionem contrariorū boni scil. & mali, vt loquuntur, mentientes, in aliis verò malum simplex, & vnius forme reprehendentes. quantū in ipsis tuit, oia confuderunt, appellâtes mala, quæ minimè mala sunt. Si enim iniustitiâ, in qua hoies sunt, quæ sola est iniustitia accusarent tanq. malū, sic etiã oportebat nomen, & opinionem de ea munire, tanq. quæ esset, dum est actio; aut non esset, dū non est actio, non autem oportebat introducere principiu ipsū cōtra Deū, fuisset tamen eorū error affatim circūscriptus, & terminatus. nunc autè cum ferè oia, quæ fabricata sunt, mala esse dicant, blasphemiam in Deū in infinitū auxerunt, & producant tanquam certa, & ratione, ac iudicio probata omnes bestias, & feras, nō putantes oportere facta esse hæc à bono, non solum eorum opinione inutilia, sed hominibus nocentissima, quamuis demonstrari possint vtiliora, & commodiora esse quam ea, quæ verè hominibus conducere videantur. ac multa quidem alia connectunt ad accusationem rerum, & gubernationis vniuersi.

Dabitur vero opera, vt nihil tam eorum, quæ dicta, q. quæ dicenda sunt, disputatio non ratione cōclusum relinquat. fingunt enim cogitatione duarum naturarū contrariarū admissionem, & his, vt eis videtur, res oēs distribuunt. vndenam, inquiunt, mala, si hæc non ex aliquo principio sūt? Si quis verò percunctet, qualia peccata in hoies confertis? quæcūq; fabricatus est Deus & totam ipsarū rerum compositionem ac gubernationem vituperant: vt iam si quis demonstraret omnia benè, & necessariò facta esse, & fieri, necesse est, excidat eis, & auolet ratio contrarij principij. cum enim, ea quæ infra sunt, non intellexissent, quomodo habeant de iis, quæ sunt supra, sunt commenti neq; percepissent, quomodo, ea, quæ videntur, disposita sint, id, quod non

non videtur, calumniati sunt; & cum studere viderentur, vt cognoscere, quia non cognouerunt, in maiorem ignorantiam inciderunt, etenim veluti in tenebris quærent, quæ de iis, quæ apparent, ignorabant, non solum non inuenerunt, quod quæere videbantur, quin potius maiores ignorantia tenebras sibi offuderunt. nos vero primo de duobus principiis contrariis, quæ ponunt, differentes ad conclusionem argumentationis de vniuerso veniemus, esse scilicet bona, & necessaria oia, & illa maxime, vt superius dixi, in quæ maximum impetum, & incursum faciunt, quasi omnium concessu mala sint, præterea etiam omnium rerum gubernationem, atq; illa, in quibus severitatem providentiæ, qua, quæ magis necessaria sunt, procurantur, improbant; & non solum hæc, sed de iis etiam, quæ apud homines iniuste sunt, neq; propter hæc principium mali contra Deum oportere cogitare. docuimus enim hæc etiam bonitatem Dei, qui nos fecit, declarare; & neq; ab hominibus fieri secundum voluntatem Dei, nec ex principio quopiam contrario in nos ferri.

Igitur aggrediamur deinceps ad principium impietatis illorum commentitia, inquirentes, vtrum notiones naturales contraria principia rerum admittant, si enim ne consentientia quidem admittunt, multo minus pugnantia. scribens igitur ille ipse furens Manichæus, vbiq; incipit; erat Deus, & materia; lumen, & tenebræ; bonum, & malum in omnibus summe contraria; vt in nulla re alterum cum altero communionem, & societatem haberet, ambo ingenita, & viuētia, igitur aut disiungent se; aut si fuerint, simul amica, & nequaquam contraria esse apparebit. at pater dicere cum seiuncta esse hæc. igitur vtrumque cum altero finitum, & terminatum erit secundum substantiam, & neutrum incircumscriptum, & infinitum. circumscribere autem Deum secundum substantiam, & non nosse, & confiteri infinitum esse, quomodo non est admodum impium? quandoquidem non solum circumscribi, & terminari substantia Dei videbitur, sed à malo, vt ille ait, hoc accipere. Quod quidem extra communes notiones est, quæ menti suggerunt, vt eum vbiq; esse noscat, & natura incomprehensum.

Præterea etiam, si hæc necessario à se dissident, non solum Deus opinione illius insana naturæ circumscriptæ esse videbitur, sed in priuato loco esse, & residere propè contrarium. quæ enim à se mutuo arcantur, propriis, & priuatis locis circumscribunt. excutiēda igitur sunt hæc, si ambo cōtraria tanquam ingenita antiquiora locis erant,

aliquando rursus prius erant communiter à pugna inter se libera. Sin vero disiunctio substantiæ vtriusque, simul ex æternitate fuit, antiquior erat locus substantiæ vtriusque, vel simul cum illis ingentus. si autem antiquior, ut iam ambo videantur vtriusque loci propagines, non sunt hæc ingenita, nec æterna, quod quidem locis, ex quibus hæc exiterunt, videbitur inesse. Si vero locus est simul cum illis ingentus, erant plura ingenita, & non iam duo, necesse enim est, ut alia sint illa loca præter hæc, quæ in illis sunt, sine quibus nec esse possunt.

Ad hæc poscendum est ab istis intermedium, & vtriusque interiectum, quod alterius cum altero communitatem arceat, & prohibeat, ne finibus inter se commista, rursus rationem, ac naturam contrariorum tollant. Quid igitur erit istud, quod ambo illa disterneret, & intersepiat? opus enim habet, apud istos cuiusdam tertij commentum fabulæ. An dicturi sunt nobis, esse murum adamantinum, aut aliud quid delirum? Cuius nam providentia hoc quicquid sit, interseptum esse dicent? vtriusque enim contrariorum hoc assignare velint tanquam postea immisissum, non reperient exitum in hac causa: neque se hinc expedient, reuocata enim ascendendo ad antiquius, disputatio rursus deprehendet contraria inter se separata, tanquam nullo modo contraria. Sin vero neutrius providentia interseptum, quod declarant, esse dixerint, necessario fatentur introducere se aliquid ingentum, quod neutrius substantiam participet, ut omnino dirimendo separet hæc: atque ita fiet, ut reperiantur turbam ingenitorum ponere, qui duo ingenita esse dixerunt.

At tamen hoc, quod determinat, & interseptum est siue murus est, siue terra sine domibus, siue aliud quodlibet, nunquid, alicubi quidem habet basim, alicubi vero culmen? Atqui perspicuum est, infra quidem habere basim. Sed ubi, & quantum? supra vero culmen, sed ubi, & quantum? supra enim & infra nomina fabricationis mundi, ante fabricationem sunt apud istos, at qui oportet etiam interseptum profundius, & altius esse quam ea, quæ determinantur, ne si quid ex parte inferiori, aut superiore deficiat, aditum contrariis præbeat, ut simul sint. Si autem cum umbra & sole comparent illud, quod interseptum vocant, putabunt quidem nihil habere commune umbram cum sole, convincetur tamen, deceptos esse eos turpiter à Manichæo, umbra enim communicatione solis, & præsentia fieri solet mole quadam interposita, quæ communicationem, & præsentiam solis ad alteram partem transmittit, nihilque aliud umbra est, quam  
iudici-

indiciū luminis corpore quoquam interiecto impediti, nocte enim, cum non adest lumen, nec pars umbræ esse potest. vbi igitur umbra est, ibi lumen, quæ enim vltra umbram sunt, lumine collucent, præterquam, cum id, quod umbram facit, multa altitudine superat id, quod illuminat: & malum in lumine habitans lumen esse apparebit, nisi murum maximè ridiculum positum habent. Quomodo enim umbra esse poterit lumine materiam ex omni parte collustrante, nisi quid in medio prohibeat, & lumen omnino ab ea excludens umbram efficiat? in lumine non videbitur posuisse pro muro ridiculo; quod interpositum si non sit, & quam maximè distinet, perpetua erit communitas malo cum lumine.

Rursus, meridianam partem malo tribuentes, somnium fabricæ describunt. vbi enim erat meridies ante meridiem? Locus autem in mundi fabrica alius alio inhonoratior non potest esse. quod enim ad leuam est in occasum aspicienti, ad dextram rursus est aspicienti in orientem. Verum absurdissimum est hoc barbaricum dogma. duo enim prorsus principia quomodo principia sint, aut appellentur? siquidum principium est, quod omnibus est antiquius, & omnium tenet principatum, & imperium, quorum neutrum in neutro duorum esse potest. esse enim ambo eiusdem temporis, & cognata, rationem eorum inter se principatus, & excellentiæ tollit. immo quæ non solum à principatu potestatis inter se libera sunt, vt pote contraria, sed natura pugnant, quomodo cogitari possunt habere omnino principatum? Quod si ratio principatus neutrum horum incolumè seruat, quomodo principia vocabuntur?

Quomodo rationes naturales admittent, vt sint duo secundum substantiam contraria, vbi primò quidem, nomen substantiæ commune est vtriusq;? primum igitur, quatenus vtrumq; substantia est, perspicuum est conuenire inter se, & non esse contraria. deinde ambo sunt animalia; præterea a qualiter ingenta. Quorum autem eadem sunt nomina, & eadem descriptio, horum substantia quomodo contraria, aut pugnans esse potest? siquidem nomina res significant. dicitur enim de vnoquoq; quod vnumquodq; est, vt, esse potest. itaq; cognoscimus vim nominum esse res. vtrumq; igitur eorum, quæ Manichæus contraria putat, substantia viuens, & ingenta nominatur, manifestumq; est, cum talis error principium ducta barbaris, esse etiam apud eos sublatam communium notionum consecutionem. integra enim atq; eadem est vtriusq; ex aquo descriptio,

quæ non modò omnem contrariorum suspensionem eicit, sed neque differentiam vllam in iis, quæ nominant, esse permittit.

Aiunt autem Manichæi affectu hoc quidem bonum, illud verò malū, qualitates videlicet ante substantiā intelligentes, nominata enim similiter in vtroq; substantia, (sunt n. ambo substantia viuens, & ingenita) superuacanea est, deinceps sunt veluti qualitates contrariæ, etsi enim non decet, nominare in Deo qualitatem, esse tamen prius quodāmodo est cogitatione, quæ talem esse, substantia autem significatur, cū dicitur substantia viuens, & ingenita; præterquā si dicant propria accidere ambobus contraria, quod est omnium stultissimum. ingenito enim nihil accidit, cui enim non accidat esse, huic neq; taliter esse acciderit. quod non est, non accidit.

*Superna-  
eanea sunt  
præter-  
quam, &c.*

Qualitates igitur contrarias licet in rebus inuenire, substantias verò nequaquæ. albū enim & nigrū contraria sunt, vtrumq; in corpore eadem substantia, sunt autem talia partim contraria inter se, partim non contraria, primum namq; subter vnum genus sunt. vtraq; enim sunt color. Deinde etsi contraria esse videntur, tamen aspectum variè delectant, neutrum enim illorum immoderatione hunc offendit. immodè etiam virtus, & vitium in anima. atq; hæc quidè contraria non solā in eadem substantia, sed in vno genere nominantur. vtrumq; enim est habitus, quæ tanquā accidentia insunt in anima, à qua abesse possunt; anima, in qua hæc sunt, alias aliter affecta, & disposita, vt liqueat, aliud esse de substantia loqui; aliud de iis, quæ substantiæ accidunt.

Atqui fit aliquando, vt album quidem, & nigrum abesse non possint ab iis, in quibus insunt, nemo tamen ab his vnquæ illa, in quibus hæc sunt, nominauit. nullus enim cum voluit significare lac, potius nomine albi abusus est, quæ vsus nomine substantiæ imposito speciei, ne pro vno multa significare videatur, quibus inest albus color. quia etiam coruum non declaramus nomine nigri, sed nomine auis, & speciei. hæc igitur & huiusmodi qualitates inseparabiles sunt, virtus autem & vitium in anima ex qualitatibus, quæ accidunt, sunt vt magis conueniat, vt minimè videatur substantia hominis ab his nominari; sed oportere hanc propriè significare. nemo igitur quid est homo, ex vitio, quod alicui inest, significauerit. sed primò speciem substantiæ dixerit, deinde quis sit, adiicit; postea qualitatem in eo dicit.

*Quid est  
homo id  
est substan-  
tia ho-  
minis.*

Qualitates igitur contrarias, sicut ante dixi, in iis, quæ accidunt, reperiri possunt partim quidem separabiles, partim verò non in Deo autè oīs qualitas eiecta est, quando quidè nihil eorū, quæ de eo dicuntur,

tit.



tur aliud est praeter ipsum. simplex enim est, & compositionis expertus. cogitatione tamen, ut superius dictum est, prius est esse, quam talem esse.

Quamobrem rursus dicimus, si utraq; eorum, quae Manichaeus contraria esse dicit, substantia viuens, & ingenua sunt, non enim negabunt, vel ambo bona ut magis ad id quod bene pieque sonat, propter verè bonum, ipsum contrarium, quod dicit, quod minimè est, trahatur, non enim dicemus, vel contra, si ambo mala: quod enim ingenuum est, omninò bonum est, continuo igitur Deus cum ingenuus sit, nequaquam habet hoc ipsum non ingenuum esse tanquam malum, sed tanquam bonum certè. Quae igitur sortitio ista eandem rem, & nomen apud Deum quidem pulchram, & bonam esse, contra verò malam apud malum, ut isti aiunt, in generatione quidè inueniri queat differentia, differentia tamen, & non contrarium, in eo verò, quod est ingenuum esse, quod potest esse differens, nedum contrarium? Quamobrem omnino fieri non potest, ut ingenuum ingenito contrarium sit, si quid enim sit, nullum eorum debet nec esse, nec appellari contrarium, ut in omnibus rebus nulla sit cum contrario communitas, ac societas.

Scilicet in-  
genium.

Si enim non sit omninò contrarium, quatenus ei communitas cum altero est, non est contrarium. contraria tamen sunt esse, & non esse. fortasse vero nec haec contraria sunt, non enim pugnant. quod verò est, non est contrarium ei, quod est. si autem quomodo est, penitus cum eo, quod est, conuenit, vnum & solum, quod verè est, omnibus erit principium ut sint.

Sunt enim  
in Deo si-  
mul, qui  
vocat ea  
quae non  
sunt tan-  
quam ea,  
quae sunt,  
sicut Apo-  
sit.

Aiunt praeterea etiam ipsi, oportere omnia, quae sunt Deo contraria, appellare materiam, verbi gratia, si Deum appellemus lumen, contrarium vocemus tenebras: si bonum, illud malum. Si tamen appellaremus Deum ipsam illam veritatem, patet vocandum esse contrarium mendacium. Quod autem verè est, ut opinati sunt, quomodo erit mendacium? quod enim est, si dicatur non esse, mendacium fuerit. Quod verò verè est, quod facit, ut verum sit esse aliquid, nunquam erit mendacium. Si enim dicat esse, verum dicit; si verò non dicat esse, ut non dicat verum, neque dicet non esse, ut mentiat. quod si dicat non esse, notione mentitur, non est igitur ipsum mendacium, verè enim est.

Deinde si vocant isti bonum immortalitatem, malum vocabunt interitum, at cuius erit interitus ipse interitus? boni enim non poterit, sin erit sui ipsius interitus multis saeculis à se interiuit, & frustra, ac vanè eum esse, cogitatione fingunt. quomodo autem erit inte-

inte-

interitus, aliud namq; tollit interitus, non seipsum. si verò seipsum, neq; principio subsistere potuit. videbitur enim magis se ipse interimere, quam esse. interitus enim immortalis non potest secundum communes notiones cogitari. quod autem est ingenitum, necessario est ab interitu liberum, & æternum, vnde & immortale. supra mortale enim est quod ingenitum est. si autem hoc habet materia vt nunquam facta fuerit, quod maius est, quomodo non hoc, quod minus est, non ei inest, nunquam scilicet interitum cepisse? Si autem non capit interitum tanquam æterna, neque sui ipsius est interitus, & non erit substantia ipsius interitus.

Sed qui ex Schola Manichæi profecti sunt, huiusmodi disputationes cum audiunt, vnde, inquirunt, ea ordinis perturbatio, quæ in rebus cernitur? at sæpè dictum est propter ignorantiam diuinæ gubernationis & quomodo res dispositæ sint, falsam & impiam cognitionem sibi comparasse propter inscitiam eorum, quæ scire sibi videbantur, quæ peius, quam si ignorassent, sciuerunt, & quod verius est, amisso, quod quærebant, priusquam quærerent: disputatio verò nostra cum tempus erit, quæ putant perturbationem ordinis rerum, bonum ordinem esse: à Deo altissimo proficiscentem conficiet & concludet; & quæ ipsi dicunt mala alia quidem in actione tantum posita, alia verò secundum substantiam, minimè mala esse docebit.

Erat, inquit Manichæus, tempus, cum materia, sine ordine ferrebat; & generabat, & crescebat, ac multas potestates producebat, aucta igitur euehebatur nesciens substantiam boni. postquam vero magis euecta nouit terram, & lumen boni, nitetur ascendere ad ea, quæ non erant propria, bonus vero potestatem quandam mittit, cui nomen, quod ei visum est, imponit, custodituram scilicet præscripta, re autem vera futuram ipsi materiæ illecebram & inuitamentum ad moderationem eius à voluntate alienam, quod quidem factum est, cum enim vidisset materia potestatem missam quasi adamans, concupiuit quidem eam, sed ardentiore appetitu prehensam absorbit, & quodammodo tanquam bellua ligata est, vsi autem sunt hoc exemplo, tanquam cantione potestatis missæ sopitam esse. facta igitur est, aiunt, mixtio & temperatio adhuc modum, absorptaque potestate boni, & materia absorbente sic ex vtraq; fabricatum esse vniuersum à bono scilicet. non enim malum prouidit ortum mundi, hinc aiunt alia quidem bona esse, alia verò mala facta mixtione illa & duorum coitu per vim contrariam rerum, quæ hic sunt.

Decer-

72028.

Decernit autem omnem quidem animam esse ex parte boni; corpus verò & carnem ex parte materiæ: & iam quidem corpus animam tanquam in carcere detinere; iam verò animam detineri tanquam belluam à cantione. Sic bonus cum materiam decepisset mundi, inquit, factus est fabricator, non quidem quod ipsum fabricari desiderasset, resistit enim ei, sed propter seditionem à malo excitatam, quam corrigere, & moderari cogitauerat, non tamen fieri potuisse, ut venenum mali, quod est in rebus, quas videmus, extraheretur, sequi verò hoc, ut opinati sunt, ex perturbatione ordinis, & ex inæqualitate rerum nostrarum, atq; hunc quidem diuitem esse, illum verò pauperem; hunc gloriosum, illum inhonoratum, & inglorium. & quæcunq; talia sunt. Studium verò boni esse liberare animam à malo, & hanc quodammodo ex materia exhaurire, hoc autem fieri per lunam crescentem, & decrecentem, ut nos videre videmur, re vera, inquit, ipsa in modum hydræ impleta, ex substantia infusa in bonum cognatum exinanitur, etsi enim non his verbis, hæc tamen vult dicere, quæ multo honestius à nobis dicta sunt. plurimum enim absurdum, & incredibile est in eius narratione.

Quæcunq; igitur alia aniliter, & commentitiè loquitur, & scribit, sermone Syriaco vtens, quomodo terra sustinetur, non deuitans poeticam fabulam: quomodo imbres fiunt, & sudores esse principum materiæ, hæc, & alia eiusmodi, quæ præter negotium sui certaminis tractat, superuacuum esset ad confutandum proferre. oportet quæ de singulis delirè scribit, quæ omnibus nota sunt, non pari, ut librum infinitis nugis dilatent, quippe cum satis sit cōfutato capite insanæ eius, reliqua contemnere. & si non contingeret, ut necessario hæc caula sermonem de providentiâ complecteretur, quo demonstrare oportet, omnia esse benè, ac diuinè ordinata, & ineffabile Dei sapientiam prædicare, ridiculum esset vel aliqua saltem confutatione, quæ proposita sunt, digna esse putare, quæ quidem extra communes notiones congesta, sponte sua apud eos, qui mentem habent, conarguantur.

Satis autem erat, postquam non minus demonstratum est, nequaquam duo principia esse præsertim contraria, de homine iam & de reliqua fabrica disserere, nihil tamen prohibet, quin cōsideremus, quomodo proposita incredibilia sunt. Ferebatur inquit, aliquando materia perturbato ordine. Qua ordinis perturbatione? an secum sola? an contra aliquem? omnis enim iniustitia non est sui iniustitia,

sed altero indiget, in quem fiat. cui igitur non erat communitas cum alio; in quem perturbato ordine ferebatur? aut quæ ratio ipsius perturbationis?

καὶνογενέων.

Generabat quidem, primum nequitia progrediens, & crescebat. igitur ingenita generabat, & non erit locus dicendi, æternam aliquid noui moliri. aut enim natura molietur, atque ita nunquam intermisit rerum nouarum molitionem; si modo appellare oportet nouarum rerum molitionem, contra quæ negotium à Deo susceptum minimè principium temporis habeat; aut si hoc cogitatione vtens facit, rationem habet, & cognitionem; & euerfa est causa nequitie ratione carentis. Si uè igitur ratiocinatione vtens, siue motu rationis experite seditionem mouit, quæ ratio patitur, ut infinitis sæculis dimissa sit huiusmodi seditionem mouere? ex quo enim dicit cohibitam, & retentam esse, punctum temporis fluxisse reperietur, si cum infinitis sæculis præteritis comparatur. Quod enim incipit, & terminat, finitum est. qui autem sunt ex toto infiniti, æterni sunt, & ingeniti.

δὲ μὴν.

Præterea, si ratiocinatione vtens ad seditionem deprauabatur, quomodo non potius aggressio rei, quæ fieri non poterat, interrupta, & rescissa est? tanquam non posset contra sapientiam inuictam incursionem facere? unde factum est, ut cauerent, ne ei rationem & cognitionem tribuerent, ut locum haberet commentum seditionis contra Deum, & necessariò ab ignorantia, & natura non ratiocinante tracta, non expectabit infinita sæcula, dum se armat, & se exercitu sepius, fiat ad audaciam promptior. si enim copiosior fiebat iis, quos generabat, nequaquam tamen appetitum naturæ augebat; neque motus naturalis quicquam appetitus assumebat. neque accidisset ei primum quidem auferere, atque ita seditionem mouere, hoc enim naturæ ratione vtentis est, quæ ex proposito nequiter agit.

προβαλῶν.

διὰ προβολῶν.

Quomodo autem augeri poterat nequitia (id est satanas) accessione sobolis? si enim iis, quos gignebat, ad nequitiam perficitur, imperfecta erat nequitia, & non erat in summo, & fastigio nequitie. sin vero erat perfecta, & summa secundum rationem propriam; rursus minimè videbitur augeri nequitia per propagationem generatorum, neque fiet audacior, & præfidentior, cum non sit particeps rationis; nec ad auxilium suum adhibebit quos genuit; alioqui videbitur antequam procrearet, imperfe-  
cta fu-

ita fuisse non solum nequitia ad nequitiam, sed ad vires, & robur quod alienum est ab ingenito.

Explicans autem modum seditionis huius factę, Qui, inquit, ex ea nati sunt, se mutuo insectati sunt, & deuorauerunt. dura, & graua passi. neque prius desisterunt in seipso moueri, quam lumen sero tandem viderent. his enim verbis vtitur. a se enim ipsi exagitati, cum aliqui nescirent, ita tamen ausi sunt vsq; ad lumen accedere. ecquid his incredibile, & magis commentitium? eos, qui vnam matrem sibi ascribunt, & vendicant, & cognatione naturę iuncti sunt, in se ipsos frustra inuadere, & vicissim membra sua deuorare, & nunquam in hac re cessare? quod quidem si verum erat, prestabat ipsos a se ipsis consumi. & inaniter demens Manichæus *ἀραξία*, id est, perturbationem ordinis vocat in eo quod vtile est. huic enim nequitia ascribit, & assignat perturbationem ordinis ante mundum, quar sic vocat, tanquam doleat, & se misereat materię, quod non prius se ipsa vtiliter, & conuenienter consumpta esset: & tanquam quidam amicus huius, mcerens, ac grauiter dolens, quod sibi nocuisset, quę contra se vtiliter fecit, in iis perturbationem ordinis vocat, cui deberet potius compositionem ordinis excellentissimam vocare. interire scilicet malum a seipso. ille autem ait, in perturbato ordine erant, & sibi inter se nocebant, viso lumine desuerunt.

Igitur insidiatum est lumen vtilitati, si quidem malos a mutua ege liberauit, & tanquam medicina medici profuit ægrotis. at non conueniebat bono, vt parceret malo, & sineret permanere incolume, & non sineret a se ipso consumi. si enim ne a se consumeretur, hoc prohibuit, ipse plane seruauit ipsum. essetque verior *ἀραξία*, id est, aberratio a bono ordine hoc, quod ait, sublatam esse perturbationem ordinis. sic igitur est in libro, qui apud ipsos fertur, seditione inter ipsos orta, prodierunt vsque ad confinium, & viderunt lumen spectaculum quoddam pulcherrimum, & maxime decorum tunc commotione sua in insaniam acti consultauerunt de lumine, quid faciendum esset, vt se cum eo, quod præstantius erat, miscerent. hoc autem cogitare non poterant, sed præ cupiditate melioris arbitrati futuram esse propriam prædam, cum multi essent, exercitum instruunt.

Manichæus, quę sunt omnium pulcherrima, & bellissima, filiis nequitia testimonio suo nesciens tribuit. Etenim si quod est pulcherrimum, & maxime omnium decorum, amanter viderunt, & cupidi-

piditate incensam propriam prædam esse existimauerunt, liquet rectè sensisse. quare consilium capiunt, qui non sunt rationis participes, quomodo se ipsi cum lumine misceant. & relinquatur, vt inuidia esset, non permittere istis frui bono. non enim erat sermo Manichæi constans. Si enim contra se insaniebant, oportebat quidem dimittere eos, vt à se ipsis interirent. Si desiderio luminis tanquam elegantes tenebantur, honestum etiam erat eis, concedere, vt fruere tur. decorum enim, & laudabile omninò est secundum naturam, desiderium boni, quo frui non potuerunt, sicut ait qui dogmata Manichæi scripsit, cum alioqui desiderarent, potuerunt tamen se conficere, & destruere, tale enim penitus est bonum, vt neq; consumi possit, neq; possint insidias ei ponere, qui eius participes sunt. Quomodo omnes simul in militiam profecti sunt, qui non cognouerant, quis resisteret, & aduersaretur? sic enim est in libro, vnde ista Manichæi apposuimus, quod neq; Deum in lumine habitare sciebant; neque se vnquam impunè laturos, si in Dei domicilium inuadere auderent.

Si igitur non cognouerunt contrarium, quod obstabat eis, alienum est prorsus à ratione educere exercitum contra eos, à quibus se repelli nesciebant. par enim erat armari eos, vt aiunt ipsi, igne, & tenebris, si præuidissent, se ab alienis arceri. sed quia omninò ignorabant, nõ solum est credibile, sed plane sibi repugnans, armaturam, & exercitum describere, cum nullus penitus expectaretur, ad resistendum adfuturus. Non minus contrarium est dicere, tum cupiditatem luminis illos habuisse, tum apparatu bellico vsos esse confiteri. armis enim bellicis omnis hostis contra aduersarium se tegit, & munit, non contra id, quod cupit esse præmium certaminis. si ergo non erat aduersarius, quatenus ipsi ignorabant, quomodo non sunt contraria cupere, & belligerare? quomodo autem illud etiam non est magnopere repugnans, eos, qui in iis, quæ secundum naturam sunt, nunquam concordēs fuerunt, inter se ad bellandum conspirasse? simul, inquit, contra lumen consilium ceperunt. Qui enim membris suis inter se vicissim pascabantur, & semper nulla vnquam intermissione facta cõtra se insaniebant, quomodo in iis, quæ præter naturam sunt, ad habendam cupiditatem, & ad commotionem iræ contra Deum concordēs fuerunt?

Si vero iuuisset spectasse lumen, nonnè oportebat duci eos à Deo ad perfectam naturæ mutationem adhibita illis curatione, ad fruendum ipso bono, hoc est, deo perfectè? Quomodo iuuisset spectaculum lumi-

luminis visi profectos ad bellandum cum exercitu? quibus hoc ipsum lumen non permisit contra se ipsos furorem amplius exercere ut quidem exercere oportebat, contra se vero ipsum præterquam oportebat, permisit? Verum in his quidem commentis multum deliramenti est, quæ aliter etiam conuincimus, non posse condonari. nominant enim terram boni (id est Dei) qualem verò terram ante mundi creationem? apud eos scilicet ortum rerum anticipant nomina. prius enim quam fateantur creasse Deum mundum, ait absurdissimus Manichæus, esse quod nondum factum erat. terra namque si quidem fuerat, erat: Sin verò non erat facta, erat simul cum Deo ingenua. Quid verò opus erat Deo terra, qua non fuit usus? Sed hic insipienter terram Dei vocat, antequam dicat factum esse. nec enim ante creationem poterat testimonium dici de terra facta.

Deinde à Deo quidem creatum est lumen in aspectum cadens, ipse autem Deus lumen est intelligibile, non sensibile. vidit igitur, inquit, nequitia lumen summi boni. si lumen, quod in sensum cadit, nondum erat mundus, nec ortus mundi. Quomodo igitur vidit, quod nondum factum erat? cui enim fuisset vsui, nondum homine, qui vteretur, creato? vtilia enim videnti cognata sunt, non enim Deo, qui ab omni participatione sensibili liber est, vtile erat. Si autem ipsum Deum; quod est lumen intelligibile, omninò vidit similitudine naturæ simile, necesse igitur erat, ut ipsa lumen sensibile vidisset. sensibile autem quorsum fuisset, & in quem vsu ante sensibilia creata? alioqui quomodo tenebræ vident lumen? si enim viderunt lumen, diabolus non erat tenebræ, magnam enim societatem, & conjunctionem habet sensus cum sensibili. naturalis coniectus oculorum propter similitudinem aspectus cum re, quæ videtur, statim exprimit figuram eius propter legitimam naturæ communionem. corpus enim corpus videt. simile in simile intendit aciem. neq; possunt oculi naturæ inferioris quod natura præstantius & excellentius est, videre, nedum quod naturæ contrariæ est. Si autem, quod est naturæ excellentioris, quippe cum non sit contrarium, præterquam incorporeum, ab inferiore utpote corporeo omninò non potest videri. ὅσα γὰρ τὸ ἐναντίον τῷ ἐναντίῳ, εἴ γε ἔστιν, ἄόρατον. sanè contrarium à contrario, si modo est, videri non potest. sunt igitur, ista quæ scilicet se vident, cognata & amica, & nequaquam contraria.

Sed plenum est commentum barbara pernicie. ait enim non solum vidit materia, sed decreuit ascendere, tanquam studium quod-

dam adhibens ad demonstrandum habere se communionem, & societatem cum lumine. fortasse eos, qui ex ipsa nati sunt, poenituit, quod infinitis sæculis superioribus non fuissent experti lumen. & quomodo tenebræ adsciscunt, & vindicant sibi lumen? aut quorfum, & in quem vsum volunt tenebræ inuadere lumen? an vt naturam mutant, & efficiantur lumen? an vt nutriantur lumine, alimento naturæ contrario? at ignorans voluit ascendere. etenim si cognouisset, ratio constaret, cur mutari voluisset. nunc autem cum natura sit nequitia & ignorans, integra euersio totius rei, & causa est. Non fuge a contrario.

Quod autem magis à ratione auersum est, ait missam fuisse à bono potestatem, non iam lumen sensibile, sed velut diceret, solem Dei, hanc cum vidisset materia, concupituit quidem tanquam amans eam; impetum verò in eam fecit, & absorbit, & suis potestatibus distribuit, qua via fieri non poterat, vt videret missum ex natura boni, hoc inquit, effectū est, vt absorbere posset missū. vtar enim adhuc amplius eodem verbo, quoniam si vel solum vidit, quod ex substantia Dei propagatum erat, non est nobis opus alio quopiam verbo ad euertendum commentum. vidit enim omnino tanquam simili simile. Quod enim est penitus secundū naturam contrariū, & summè contrariū, nunquam videre poterit contrariū, nec propinquabit ei, quia si vel solum videat, ratio contrarij prorsus tollitur.

Hoc autem addit cæteris, quæ dixit, absurdus, & secum vehementer pugnans, ne opus sit, vt alius contra eum dicat. amant enim, inquit, potestatem illam visam tanquā oblita penitus naturæ propriæ, non illa quidē oblita est, quæ non erat, sed hi sunt suorū commentorū immemores. aiunt enim, priusquā hæc seditionē moueret, nō habuisse cognitionē boni; ne cognitione boni naturam ab ipso accusatam ornent. Nonne amentia est, putare eā, quæ in se non habet, vnde cognoscat esse bonum, potuisse videre, & postquam vidit, desiderasse? longe enim maius est substantiam aspectu videre, quā cognoscere esse. primum non solū nos, sed potestates angelicæ excellentiores, esse quod bonū cognoscimus ac cognitione sola ad pietatem in Deū alimur, tanto verò excellentius angeli, quanto natura sunt excellentiores, videre autē substantiā Dei neq; nobis, nec illis licet. siquidē nos quādiu corpus secundū naturā indui sumus, nec angelos ipsos videre possumus.

Manifestum enim est, & plane concessum, qui videt, simile sibi videre. si quis verò existimet futile esse quod dicimus, videmus enim  
solem,



solem, lunam, & stellas, præterea apud nos lapides, aurum, argentum, deniq; mare ipsum, & omnia animalia, ac nullo pacto his similes sumus: aduertat iste, quod et si eorū quæ enumerauimus, diuersæ species sint, at horum omnium genus supremum corpus est. substantia namq; partim inaspectabilis est, vt incorporea; partim aspectabilis, vt corpus. prima igitur partitio omnia hæc tanquam genus separat, & distinguit. Quare corpus, corpus videt; & quatenus corpus, simile & cognatum est videns, viso, quamuis sint diuersæ horū species propter varietatem, & ornatum vniuersi.

Ridiculum enim esset, si quia flos pulcherrimum aspectum habet, & ab auro differt, & quod est floridum differt à viridi, non vterq; vocaretur, q̄ in re est, color. color enim est vterq; tametsi diuersus. idem enim aspectus cum vtroq; coniunctione & societatem habet. sic oīa corpora sunt aspectabilia, licet differētes sint species. esse autē corpora alia aliis præstantiora, nihil prohibet, quin oīa corpora sint aspectabilia. ex quo fit, vt non sit quod sub aspectū cadit maximè, & præcipuè adorandum ab eo, qui illud cernit tanq̄ ab ipso cōprehensum.

Si igitur materia vidit, quod ex substantia Dei erat, cognatione magna, & similitudine ducta, ad spectaculū venit, nec ampli⁹ opus erat dicere contra hanc fabulā, quæ consistere non potest. si verò etiam desiderauit, quod vidit, de re omnium optima testimoniū illi perhibuit homo stultus, vt videatur nomen quidē nequitie imposuisse ei, substantiam verò bonam esse eidē attestatus. Quid enim maius esse poterat ad probandum bonitatem, q̄ desiderasse bonum? Quod autē dicit apprehendisse, & absorbuisse, vt substantia Dei contraria tanq̄ semine fieret grauida, & distribuisset suis potestatibus. ô furorē amētis! non solum vidit, sed desiderauit. & non tantum desiderauit, sed absorbit. & non solum absorbit, sed etiam retinuit. Hæc omnia perspicuè non contrariam naturam definiunt, sed potius summam, & altissimam cognationem vtriusq; concedunt.

Sive enim succensens, quod quidem rationationis indicium est, siue desiderans absorbit quod vidit, hæc planè ad cōmunitatē nature ptineant. Si enim sumè contraria fuissent, nequaquā vtraq; coissent. vt alia omittā. neq; hoc barbar⁹ aduertit, q̄ potestas à Deo missa, si quæ in corporea erat, nullā partitionē recepisset, vt nullo modo posset diuidi secundū substantiā in cōtrarias potestates, ac multo minus absorberi, quod enim ex pers corporis est, quonā modo absorbeatur? si verò corporea erat, omne corp⁹ sectū, & in frustra partitū, quodāmodo perit,

perit, & non potest vitam suam viuere. igitur vel incorporea erat potestas à bono missa, & nullo modo absorpta est, nec in multos diuisa est, atq; ita ex toto fabula sublata est. vel corporea quaedam potestas erat, & à nequitia deleta est, & interitum cepit, quod est ad contumeliam Dei sceleratius, quin potius ad euerfionem fabulæ valentius, corpus enim per se diuisum, & dissipatum, ac dispersum, (mens enim non diuiditur) quas vires habet ad subigendam nequitiam, quod tantum detrimentum, & contumeliam in naturam propriam accipit, vt videatur deletū esse, & interisse? hoc enim corporis diuisi proprium est.

Quod autem amentius est, si cum voluisset Deus terram eripere nequitia, ex natura propria emisit illud nudum ad contumeliam, & interitum ipsius substantiæ, tot sæculis fessurum, & habitaturum simul cum nequitia, & particeps eius futurum, ac cum ea pariter peccaturum. quod quidem vel vnā horam, aut punctum temporis substantiam Dei passam esse, vt nequitia subiecta esset, & pariter cum ea deliquisset, omnem amentiam superat. Quanto melius erat traditam esse terram, quam substantiam Dei comprehensam esse? si enim non fuisset ferenda incurfio in terram, vt materia ordinem perturbaret, quanto minus ferenda erat tanta feruitus, & naturæ diuinæ subiectio, idq; non ad breuissimum tempus, sed ad vniuersum, & infinitum sæculum? vt neq; nequitia peccare desisteret, & Deus cum ea per potestatem ex se genitam peccaret.

Nequitiam vocat  
semper.

Satanam,  
προβε-  
βλην μὲν

προβέ-  
βλην.

Vnde consequens est, neq; Deum voluisse mittere nequitia ex substantia sua genitum ad peccandum cum ea, nec illud missum inductum fuisse, & obtemperasse, vt ad tantum malum, & lucem proficisceretur, vt impletur scilicet omni iniquitate, & iniustitia, simul & impietate, idq; pro terrena liberatione terræ non iam tunc captæ, sed capiendæ, tanquam non potuisset Deus aliter huic terræ præesse. Vide quam plane infirmum mentiatur Deum Manichæus in Deum furens, tanquam defensor possessionum alicuius pupilli, & cuius infirmitatem necessarium est confiteri, vt partes patroni impleat. vt enim contra defendens nequitiam nequaquam per se consistentem omnia quidem fecisse contra Deum narrat, seditionem, impetum in res eius, postremo, quod est omnium flagitiosissimum, obtinuisse omni sæculo substantiam eius, eamq; in infinitas partes diuisisse, præfocare, & in seipsa reprimere, habereque eam sociam in omni praua actione, & intemperantia, Deum autem non potuisse locum suum

ullo alio modo neq; valenter eripere, neque saltem vacare a peccato quod naturam eius decebat.

Quæ enim id quod ex ipso secundam substantiam genitum est, pariter cum materia peccat, plane in eum, qui genuit, redundat. Sic demum omnem potentiam in Deum testimonio suo tribuit nequitia, Deum verò dicit passum esse omnium durissima. & audeat sub-<sup>arguere.</sup> iungere, quod potestas Dei missa sopiuit materiam tanquã belluam cantione, non solum summè contraria sermone omni probabilitate carente miscens, & quæ nullo pacto esse possunt secundum naturam, commento suo largiens, sed contra quam vult hic etiam conficiens & concludens. ex vtrisque enim ait hunc Deum vniuersum hoc fabricatum esse. Corpus verò hominis esse quidem nequitia; animam verò Dei, siue cum sunt vnius formæ; siue, cum iam ex contrariis composita, quorum neutrum, vt paulo post docebimus, consistere potest. corpus tamen solum, ac per se nihil mali neq; cogitat, neq; facit, non enim occidit, neq; adulteratur, neq; latrocinatur, nec aliam iniuriam facit, cum non adest anima.

Atqui ob hanc causam excogitauit Manichæus hypostasim principij contrarij, & missionem contrariorum, vt causa malorum reperiretur. Sed si admistio animæ, quæ Dei est, cum corpore, quod diaboli, causas & primordia iniuriarum, ac peccatorum hominibus præbuit, per se autem non delinquit corpus, melius erat, vt anima à Deo creata non admisceretur nequitia non extanti. nullum enim ex peccatis quæ homines committunt, in vita cerneretur, neq; penitus esset. Quod enim esset homicidium nemine occiso? Si per missionem contrariorum, vt est in hac fabula ridicula, non fuisset factus mundus, quod adulterium esset non extante corpore, neque per se concupiscente, nisi anima, quæ Dei est, missa esset in corpus? alterum enim ex duobus relinquitur, aut dicendum esset gubernatione Dei <sup>modo</sup> prouida coisse contraria, vt tanquam à bono Deo fieret mundus, atque ita ipse omninò malorum in hominibus auctor esset, siquidem volens vsus est nequitia contra eos, qui futuri essent; aut vi coactum esse à nequitia, & iam nequitiam victoriam deuicto Deo reportasse.

Sed dicam iterum, quale homicidium erat, si neq; homo erat, neq; gladius, nec aliud genus teli aut instrumenti ad occidendum, nisi per coniunctionem contrariorum ædificatus esset mundus? materia enim per se, ac sola quamq; nati ex ipsa seditionem in seipso <sup>Materiam vocat dicitur bolum</sup> mouebant,

H

uebant,

uebant, homicidium quidem ignorabat, non enim habebat mortalem, quem occideret, adulterium nesciebat, quia sponfiones nuptiarum apud eum non versabantur, nec erat calumnia, omnino enim iudicare non poterat, esset cum rationis expertus. cupiditas autem diuitiarum, quæ est omnium malorum radix, ne nominabatur quidem; cupiditas enim diuitiarum apud homines est propter vsum, & necessitatem, qua erat liberata materia. ambitio non participabat perturbationem rationis, quia erat in materia vacuitas rationis. gula, ac ventris vitium, & fornicatio, ac masculorum concubitus apud eam locum non habebant. & vt summatim dicam, omnia mala, quæ apud homines feruntur, ante mundum ædificatum minime habebat materia.

Itaque non fuit ligata commiffione, sed potius contra conuenienter eidem causæ amenti, sicut equus campum nactus, cursu fertur ad iniustitiam malorum hominum, quæ enim erant ante mundi fabricationem mala, ex quo mundus est, in mundo versantur. quamuis enim ponamus, vt ille dicit, natos ex materia fecisse seditionem, & furore in se ipsos fuisse percitos, & infinitis malis se vicissim affecisse, & contra lumen exercitum eduxisse, non tamen bibens ea mala, quæ in homine numerauimus, cum illis fuisse cogitatione fingetur, quia non poterant humana mala agi priusquam homo esset. & vbi esse potest, qui dicat, quod ligata nequitia frenata est, quæ neq; malorum humanorum meminerat? postquam verò ligata est, de his accusatur.

Quid autem nocebat bono sola secum ordinem perturbans, & non habens, cui perturbationem ordinis inferret? euertere enim bonum nullo pacto poterat. si autem nitentur inuadere in loca aliena, aliter impetum eius amentem reprimere oportebat, quæ enim prius non nocebat, ordinem contra se perturbans, nunc quidem videtur aliud quid assumpsisse, in quod tanquam in familiare, & coniunctum perturbationem ordinis nocentiorum efficit. continuò dicemus, quod etiam homines per seipfos malefici, volent quidem aliquid mali facere; non habentes autem in quem faciant, ociosi reperiantur, se verò ipsi beneuolè aspiciant ob concordiam ad maleficium. materia autem neq; volebat, non enim consilium capiebat, cum esset expertus rationis; neq; poterat, cum esset sola & per se. igitur quæ à Manichæo vocatur materia, videtur sumpsisse fere à bono per animam veriorum materiam ad operationem nequi-

nequitæ, quam nesciebat. acculabatur enim ante mundi fabricam de perturbatione ordinis nobis ignota, & minime apparente. didicit autem operari manifesta mala, & quæ cernuntur. excitavit ergo belluam cantio, & nequaquam sopiuit, ut ille dicit.

Si autem dicit noluisse Deum, ut fieret mundus, percontandū est, quis erat, qui voluit? an malitia, quæ non habebat cognitionem? Quis est, qui ex vtrisque fecit, quæ sunt? nunquid materia? non esset in admiratione eius operatio. Sed nunquid non voluit Deus, coactus tamen est? si ita esset, magis subiectus fuisset, quam subiecisset atque supervacuaneum esset illum admirari sapientiam Dei vi. coactam, & damnnum eorum, qui futuri erant. quæ enim nullo modo mala erant ante coniunctionem contrariorum, neque saltem nominabantur, hæc post ortum mundi floruerunt.

*Quia ab aliquo quod sine cognitione, & ratione fit, non est admirabile in eo: à quo fit.*

An non est absurdum dicere, voluisse Deum perturbationem ordinis, quæ nobis demonstrari non potest, à materia tollere, & actionis malorum, quæ videmus, & in hominibus apparent, oimni ordine, & ratione carentis auctorem fuisse? perturbationem namque ordinis, de qua materiam damnabat, verbo solum proferre potuit, non tamen rebus ipsis, & operibus demonstrare. mala autem, ex mixtione ista, contrariorum conficta, & quæ fieri non potuit, oculis cernens insanus homo dissimulare ea non potest. Quare dum docere vult non esse Deum auctorem iniustitiæ humanæ, maxime esse plane confitetur, immo plenius quàm si hoc solum fluderet.

Age iam, consideremus mala, quæ ab hominibus fiunt, ad quem verè pertinent. Aggreditur fortasse introducere mixtionem animæ cum contrariis, quam suspicatus est. Siue ipsa anima sit *μovoαδης*, id est, simplicis, & vnius formæ ex bono apud ipsum, siue ex compositione contrariorum ex parte eius, quod est bono contrarium, facile secundum hoc impium fundamentum, & principium demonstrabuntur mala, quæ fiunt; est igitur anima expers corporis, quæ nullo pacto compositionem secundum substantiam, præsertim contrariorum recipit. Qui enim visi sunt eam componere, non substantiam variam, & à se differentem introduxerunt, sed operationes eius ex iis, quæ videntur, descripserunt, cum non possent exstruere vnam simplicem definitionem qua comprehenderetur.

*in d. d. c. v.*

Et si enim variis qualitatibus, quas alias aliter recipit, à se differt, tamen secundum substantiam, quæ opus Dei est, immutabilis est, & non componitur ex diuersis. à contrariis tamen missionibus tantum abest, quantum abest, ut ipsa per se corpus esse videatur. ponamus igitur, ut ille mentitur, si quidem hoc dicere aggrediatur, esse scilicet animam hominis compositam ex bono, & malo, nonne quod in ea est particeps rationis, opinione istius attribuendum est bono, id est, Deo? quod verò ratione caret, nequitia? liquet, nihil aliud posse dicere. excitata ergò cupiditate siue ex corpore, siue ex ea parte animæ, quæ ad nequitiam pertinet, an fortuitò actio prodit? nonne antegreditur in homine consideratio, & consilium, deinde iudicium, & electio actionis, atq; ita desiderium ad effectum perducitur? crimen verò nequitia ex actione, non ex desiderio conflatur, ut si maneat in loco cogitatio desiderij non progrediens ad opus per electionem partis ratiocinantis, primum quidem citò potest definere incensum simul & extinctum. Deinde nequaquam existimabitur crimen non solum commune, sed neq; si iudicetur secundum summum virtutis.

virtutis.

Apparent igitur peccata conuenienter rationi, parti animæ rationis participi assignata esse, & adscripta, & non corpori, nec vlli alij parti huius animæ. ut nequitia quidem ratiocinationis expertis liberata sit à culpa, atq; accusatione eorum malorum, quæ apud nos sunt, quippe cum nec ipsa extet; videanturq; hæc secundum sermonem illius, ex parte Dei depromi: licet nulla alia ratione vera vteremur. Si enim anima non discernens qualitatem cupiditatis, ad actionem sine vlla ratiocinatione procederet, affirmare quis posset quæ inconsideratè, ac præter rationem fiunt, ex parte rationis experte depromi. Sin autem sæpe numero ratio ipsa iam eligit cupiditatem, tanquam praua institutione flexa libens; iam rursus repudiat, cum aliquis metus eam refrenat, aut desiderium virtutis ad se attrahentis: liquet solum rationem esse, quæ rectè, & prauè facta sibi vindicat, & asciscit.

Hic versatur & vertitur ad occurrendum contra excussio eorum, quæ malè à Manichæo probata sunt, non enim, ut apparet, vllum materiæ peccatum est in nostris actionibus, sed animæ, vel partis huius, quæ est rationis particeps quæ Manichæo auctore, ad partem Dei pertinet.

Ad hæc, si accideret, ut in iis, qui pudicitiam colunt, esset institutum,

tum, non excitari cupiditatem, posset quis in impudicis liberare rationem à criminibus, quasi cupiditas rationem ex toto ab actionibus auerteret, quam cupiditatem ille dicit esse ex parte mali, sed si maximè apud eos, qui pudicitiam amplectuntur, hac via, & ratione eam colere reperiat, quod illi cupiditates natura ratione frenant, & cohibent, perspicuè concluditur, rationem esse, quæ delinquit, & virtutem colit, quæ vtrumq; & virtutem, & vitium nouit. Quare autem insita nobis sit peccatorum cupiditas, dicemus, cum erit oportu- num, docentes, pertinere hoc maximè ad admirationem creatoris.

Quod autem nunc quæritur, si non satis confectum est, nullo modo peccata nostra esse opus alicuius materiæ, aut nequitia, sed contra solius rationis, licet etiam aliter confirmare quod dictum est. an aliud quid dicere possunt esse homicidium quàm malum, & scortationem, atq; adulterium, & furtum & mendacium? si non aliud possunt, perspicuum est, quod mala erunt. Quid? si iudex occidit eum, qui iniuriam fecit, cædes igitur lege sancitur? atqui idem efficit, qui violentè occidit, & qui lege, sed propositum distinguit factum. quin potius eadem est actio eius, qui cum sua, & qui cum aliena se miscet; sed propositum separat, quæ similiter facta sunt.

Præterea, furari à Manichæo quæ sunt apud eum, vel instru- menta, vel cibos, an non videtur idem opus esse, atq; furtum crimi- nosum facere? non tamen ratione idem est, sed penitus differens. Deinde, si furens homo gladium repetat, quem deposuit sanæ men- tis cum esset, vt necesse sit ei, cui commissum est depositum, mentiri non se accepisse, quid verbis differt mendacium à vera perfidia, nisi proposito asseuerantium discernantur?

Ex his igitur patet actionem, vt plurimum non per se explora- ri, sed mentem vel cogitationem eius, qui suscepit. eadem ratio in contrariis reperiri potest. si quis enim pecuniam, vel alimentum im- pertiat egenti, non vt illi benignè faciat, sed vt laudem eorum, qui vi- dent, aucupetur, nõne perspicuum est, factum quidem esse pulcher- rimum, & benignum, propositum tamen valde humile, & crimino- sum? si quis prolixè precetur, & frequenter ieiunet, religionem, & tolerantiam hominibus ostentans, liquet non esse propter opus lau- dandum; sed propter mentem, quam in iis, quæ fecit, ha- buit, vituperandum. Quin etiam si quis alius temperans sit, & à multis cupiditatibus abstineat non desiderio virtutis, sed vt pecu- niæ parcat, an nõ satis manifestum est, hunc, qui sic est, affectione af-  
διαβε-  
βαμένον

fectiones alias vincere, ipsam verò tolerantiam specie extrinsecus apparente pro nequitia animo, & proposito suscipere?

Si igitur sæpè quæ prava existimantur, ex animo facientis honesta esse apparent; vel quæ non prava existimantur, sed contra potius honesta, & bona putantur, voluntate, & proposito suscipientis convincuntur nequitia, quis iam potest contradicere ex magna parte actiones non apud veritatem explorari; mentem verò esse, quæ in iis, quæ aguntur, excutitur?

ἀρετῆς  
διωροία.  
ἀποτοί-  
μας.

Quæ igitur opera ascribemus nequitia? illane, quæ videntur mala, quæ quidem sunt bona, quando ratione virtutis fiunt? Quæ verò ascribemus bono? an quæ apparent bona esse, quæ quidem ratione fiunt? igitur neutra neutri solummodo: Solum rationem, & quod in mente actionem suscipientis præcipuum est, diiudicabimus; vtrum recte suscepit, an secus. quod autem maxime principale mentis hominis est pertinere ad meliorem partem animæ, vt ille tradit, licet infinite insaniant Manichæi, non possunt negare.

Iniquum igitur iudicium pronunciauit Manichæus contra materiam, à se factam, assignans illi, quæ nullo pacto ei conueniebant, si eorum, quæ apud homines fiunt, causa erat. immò contra potius ad partem boni conuenienter rationi pertinere existimarentur, si duo quædam principia contraria sunt, vt ille insanè tradit. Dicit præterea studuisse Deum, vt potestatem absorptam, quam vocat animam omnium, rursus ad se reciperet, ne quod erat ex ipso, materiæ alligatum, & in supplicio semper sine vilo sine permaneret. Quid igitur principio hoc protrahebat, vt tot sæculis neque respirare posset, & magis pateretur, quam ageret? si enim in fabula esset, Deum quidem nullam contumeliam in substantiam suam accepisse, neque vel paululum in hæsisse materiæ valde indecoræ, sed alium quendam alienissimum à natura eius, & hunc continuò ereptum esse, ita vt huiusmodi prehensio magis apparendo in speciem, quam succumbendo facta esse videretur, habuisset commentum paulum saltem ad suadendum in mendacio. nunc verò immensum sæculum ponunt, & hoc esse ex natura Dei, manere vinculis constrictum, vt ipse Deus comprehensus esse videatur propter similitudinem eius, qui detentus est, & quia hoc, quod



quod captum tenebatur, ex natura eius erat. unde maiore studio ad se ipsum, ut aiunt, recolligere desiderabat. materia autem simplex erat, & ἀπλοῦς, ut potè magis agens quam patiens.

Ex his perspicitur, omnia, quæ ille planus composuit, ad blasphemiam Dei composuisse, qui nihil horum contra se fecit. itaque vult, inquit, & studet, ut ad se recipiat illam virtutem. & hæc est apud ipsos salus expectata, & beatitudo, esse scilicet redditum Deo, quod erat eius proprium. ipse igitur expectat sibi finem, sperans accipere beneficium: siquidem recuperaturus est, quod ex natura eius est, libertatem: ut quæ destruxit, ædificet, & nihil aliud. & spe nutritus sedeat tolerans, & in finem intuens, ut se ipsum quodammodo à nequitia liberet. quod quidem si retardetur, & non citò fiat, ipse sit, qui tarditate punitur.

*Supra ver-  
ri sepe po-  
restatem,  
sic voca-  
bat Mani-  
chæus ani-  
mam,*

Liquet enim non esse penes ipsum celeritatem finis. olim enim in hacre spem habuit. quoniam aliud ridiculum dicit Manichæus, quod cum ij, qui erant ipsius materia, sentirent se malè perituros lumine paulatim ablato, ex aduerso machinati sunt carnis constructionem, ad vincendas magno vinculo animas. Quare ut ille tradit, perspicuum est, quamdiu illi carnem suppetitabunt, tamdiu anime Dei in hærescent materia & vincetæ tenebunt, eritque penes illos non circumscribi mundum tempore, & non erit in potestate boni finis eius.

Quid aliud dicere potest qui aduertit, quam quod non constat sibi Manichæus, quin potius huc, & illuc se transferens à se ipso redarguitur. qui enim ait, Deum esse fabricatum mundum, quomodo rursus ait eos, qui sunt materia filij, opposuisse ei carnem, tanquam partita esset Deo eam illis fabricatio mundi, & hac quidem ratione facta Deo violentia, concedens verò illis hoc tanquam munus, non completeret vniuersum secundum propriam voluntatem.

*di tñs  
vñs.*

Tanquam autem causæ suæ & principij oblitus planus, dicit futuram esse pestiferam materiae ademptionem, & ereptionem virtutis illi admittæ, qua posuerat frenatam esse perturbationem ordinis in illa principe materia. si enim cū adest, nequitiam ligat; rursus recedens relaxat, erit magna causa lætitiæ ipsi materiæ hæc ereptio. si igitur ad extremum spes ipsi est, rediturum esse ad Deum, quod ab ipso disiunctū fuit, quod à principio decreuit, & ad egit illud subire infirmitatis

*nitis*

nitis sæculis laborem inanem; & malas sordes, non in eo spem maximam, & beatitudinem ponere, si rursus recuperaretur? materia enim nullo pacto apparet reffrenata, ac repressa, immò contra potius maiorem licentiam ad excogitanda praua opera adepta.

At oportebat, inquit, hanc ligare, cum igitur paulatim abstracta erit virtus detenta, quid fiet? liquet, rursus reuersuram esse materiam ad perturbationem. negat Manichæus: nequaquam inquit, ad extremum enim vincet eam. facietque vt redacta in glebam à se ipsa comburatur. cur igitur non fecit hoc à principio? Vtrum non voluit, an non potuit? si noluit, quomodo rursus volet, penitentia ductus, iudicans, & eligens quod melius est? nonne pertinebat ad bonum aliter à principio funditus delere nequitiam, siquidem poterat? sin vero non poterat, periculum infirmitatis in auctorem mundi emergit. Quomodo ergo postea poterit? an viribus, quas non habebat, assumptis vel augetur, vel accessionem, & incrementum adhibens, si enim ambo contraria ingenita sunt, neutrum accretionem, aut imminutionem recipit.

Totum igitur commentum barbari consistere nequit. quid verò? an dicit Manichæus sensu se percepisse maiorem, vel minorem partem virtutis admistæ materiæ ereptam, & ademptam? siquidem, ex quo luna crefcit, & decrefcit, Deus, inquit, paulatim recuperat quod lunæ proprium est. & tamen tot sæculis lapsis neq; genus humanum numero viuentium imminutum est, nec vllum aliud genus quadrupedum diminutionem vllam cepit. quin potius quæ facta sunt solito more fiunt, & desinunt esse. & adhuc magis humanitas in multitudinem creuit. vnde igitur infans ille opinatur paulatim auferri virtutem, quam fingit admistam esse nequitia? siquidem eadem similiter se habent in mundo. eadem enim est mensura diei, eadem noctis. neq; lumen magis tenue factum est, neq; tenebræ maiores. idem namq; est curriculum solis, & Lunæ, id est, idem ordo, qui à principio factus est, perseuerat.

Percontandum etiam illud, an animæ quæ peccauerunt, & infinitorum malorum in vita rege fuerunt, dabunt pœnas eorum, quæ commiserunt? siquidem dabunt, quod quidem & ipse confitetur, cum ait, in gleba has infigendas esse cum nequitia. reperitur Deus naturam suam punire, quo, quid absurdius & flagitiosius fieri potest? si verò impunitæ, & inultæ erunt, non solum neque dolorem, neque damnum afferet peccatum, sed etiam plus iustitiæ habere videbitur, quando-

quandoquidem in hoc sæculo voluptatem afferat suscipienti; & in futuro non sit supplicij causa.

Præter hæc omnia, illud est in isto stupendum, ubi ait, quod nequitia hic occupata, id est, ligata est, Deo interim profundum implet aggere, unde materia emerfit, nihil iplo in gravissima mentis alienatione intelligente  $\omega\varsigma$  τὸ ἐπιβαλλόμενον. ut quod iniiciebatur, si erat ex terra boni, quomodo in loco contrario recipitur? si autem ex partibus nequitia, quod ex parte nequitia est, & ei convenit, non includet inde exortam materiam. Sedit autem Deus, auctore Manichæo transferes semper aggeres, & paulatim quædam profunda aggeribus replens. O amentem furorem! ad quem pluribus vel saltem respondere, res est ridicula.

πὸς ἕχα  
χάρον ἐν  
τὸ πῶ  
ἐ-  
ναυτῖα.

Handwritten marginal notes on the gutter side, including "SIV" and "27".

Si verò vultis scire dæmones ipsos non esse malos à radice, neque habere radicem vitij, & turpitudinis, sed voluntate huc procculisse, cum non essent natura mali, neq; natura adscripti ignorantia; non nox, & tenebræ secundum substantiam, sed habitu & studiis, & tractatione huiusmodi studiorum facti tales, inquiramus disputando. Cæca igitur natura neq; minimum quidem aspectum habebit, & ipsa ignorantia neq; stillam cognitionis sibi vendicabit, neq; nox ipsa & tenebræ sic natura ortæ vel in paruum splendorem mutabuntur, apparet autem cognovisse dæmones saluatorem, ac Dominum confessos esse, Scimus, inquit, quis sis, filius Dei viui. cognoscere autem non potest ignorantia; neq; videre cæcitas. sciunt, & verum dicunt scientes; & non per calumniam dicunt: dicunt enim tametsi non legitima & sincera affectione veritatem. non iam de cæca natura, aut ignorantia accusantur. alioqui ne minimum quidem vidissent; nec ei supplices fuissent; neq; cessissent dicto: neq; secernere potuissent eum, qui apparuit, sed potius existimassent ex suis esse, nihilq; inter seiplos & illum interesse.

En, animalia non vtenia ratione sapientes ab insipientibus non internoscunt. si autem cognouerunt dæmones, & propter iudicium soluti sunt lege non internoscendi aliud ab alio, & diiudicando agnouerunt talia, conuincitur non naturam in hac re, sed voluntatem moderari. quamuis enim agrotet voluntas, quamuis erret, non tamen desinit esse rationis particeps; quin potius non est hoc interemptum. Sic dæmones agnouerunt eum, rogauerunt, supplices ei fuerunt, ne iuberet eos abire in abyssum. Si erant filij abyssi, si cognationem cum abyssio habebant, cur cognata refugiunt? cur

Hinc legi  
seruiunt,  
& parent  
animalia  
rationis  
experia.  
negati-  
uis.

I radice m

radicem suam recusant? potius enim eam amplexi essent, arbitran-  
tes requiem suam esse in cognatione positam. siquidem in cogna-  
tis sit recreatio; in peregrinis verò & alienis afflictationes. magis  
erat illis recusandus Iesus; magis recusandus hic locus, ubi boni,  
& æqui sunt; amplectendus verò discessus in abyssum. Contra  
verò dum recusant, & cauent, & illuc abire detrectant, immo  
ob hanc causam supplices orant, satis indicij dederunt, nullam se  
necessitudinem & cognationem cum loco tormentorum habere.  
nihil enim seipsum afflicat, & malo afficit. omne autem quod  
afflictor, & malo afficitur, ab alio afflictor. necesse enim est,  
quod afflictor non sit sui afflictatio, ac cruciatus, sed alterius, quod  
aptum natum est, ut afflictor, & malo afficiatur.

Ecce ignis, non comburit se, sed aliud, neque se consumit.  
ecce aqua, non inundat seipsam, quæ alia inundare solet, se  
verò ipsa non potest. ecce aer, refrigerare se ipse non potest.  
quoniam omne quod facit, & cruciat, aliud quid cruciat, &  
dolore afficit. si autem abyssus cruciat & dæmones cruciantur  
ab ipsa abyssu, estque abyssus locus tormentorum, torquentur enim  
dæmones, non iam torquentur à simili, sed alij cum sint, ab alio  
torquentur, non ab hac natura, neque substantia, qua scilicet  
dæmones sunt, alterius enim substantiæ est abyssus. Atque esse  
quidem dæmones alterius generis, ac substantiæ præter abyssu sub-  
stantiam satis ex iis, quæ dicta sunt, perspicitur. ipsa verò a-  
byssus locus est tormentorum, ac suppliciorum, non tamen æter-  
nus, nec ingenitus, sed postea fuit, sero tandem factus, ut ef-  
ferret medicina, & opem ferret peccantibus. sacræ sunt plagæ, quæ  
sunt remedia, & auxilia errorum. non enim ut sint mali, factæ  
sunt plagæ, sed ut non sint mali, verbera inducta sunt. mali enim  
dolore plagarum amputant, & præcidunt vitia. idcirco non que-  
rimur de abyssu. quin potius tormentis, & supplicij scimus castiga-  
ri, ac corrigi eos, qui deliquerunt.

Si autem abyssus est, ubi dæmones torquentur, & suppli-  
cio afficiuntur, & substantiam habent, quæ subire potest tormen-  
ta, & dolorem sentire, & supplicia sustinent, & habent remun-  
erationem poenarum, quibus puniuntur, quomodo ingenti?  
quomo-



rentia voluntatis, non naturæ testis est? ac de his quidem satis dictum sit.

Aggrediemur deinceps commentum primum istorum fabulæ exponere, & confutationibus refellere. Malum, inquit, erat, & ingenitum erat, erat autem & Deus bonus. & diuisa loca habitationis, & uterq; apud se ab altero seiunctus. ac separatus quidem Deus à Malo; separatus item à Deo princeps mali, & uterq; apud se erat, & uterque suis imperabat, & gubernabat, ut natus, & aptus erat, malus quidem male; bonus vero bene. malus nocens, & suis rebus nocens, & suis nocere non desinens; bonus semper bonus, & iuuans, & res suas iuuans, & nunquam non iuuans. Omnis enim utilitas à bono cœpit proficisci. cum doctrinis pugnauerunt, extremaque scierunt: inuenire non potuerunt, qui à principio, quæ consecraria erant, non approbauerunt. ac parua quidem sunt hæc, & non multa, satis tamen sunt ad disputationem quæstionis. formam tantum protuli; non excurri ad multitudinem testimoniorum. Quæ enim affinitatem & cognationem cum his habent, quæret Lector, & ex his ad similia, & affinitate coniuncta legendum progredietur.

quæ de  
vdy.

Quædam  
deesse vi-  
debantur  
hoc loco,  
quæ ad cō-  
futationem  
eorū  
quæ proximi  
ex Ma-  
nichæi li-  
bro recita-  
uerat, per-  
tinebant:  
quorum  
confutatio  
ordine se-  
cutura  
erat.

Age nunc, instruamus paremusq; illorum disputationem ipsorum dogmata apponentes. malus quidem erat satanas, bonus vero Deus. & sic res erat. fabulam verto, ut fabulam repudiem, & nisi opponam, quæ exponunt, non possum fabulam euertere. bonus quidem erat Deus, inquit, malus vero satanas. & nunquam non erat, erat enim semper. & à nullo profectus, erat enim, & radix erat, inquit, erat item Dominus, & ipse erat, & radix erat; & radix bona, & radix bonorum. & omne bonum ab hoc profectum est. duæ namq; radices erant; & duo sarculi prouenerunt, sarculi radicibus respondententes. ab illa talia; ab hac talia fieri iactant.

Institamus hic, deinde quæstionem aggrediamur videamusq; argumentationes, & quæ dicta sunt, recordemur, ut argumentationibus conclusiones conficiamus; & ex iis, quæ diximus, fidem faciamus. dicemus enim istis. si Deus erat radix, & bona radix, & boni fructus, & ex bonis fructibus profusi; ac satanas radix erat, & mala radix, ac fructus mali ex mala radice fusi; cuius radicis Apostoli fructus extiterunt, ut ex fructibus, quod quærimus, cognoscamus? nondum à radicibus argumentum sumo, dicemus enim, mala radix nihil boni proferre potuit: neq; radix bona quiequam mali. Videntur autem Apostoli quandoq; boni, quandoq; mali fuisse. ac sero quidem boni, principio autem mali, mutalq; malos mores. Si

Si enim dicamus esse Apostolos fructus satanæ propter vetera delicta, adhibebunt eis reuerentiam propter Apostolatam, & perfectionem virtutum. Sin verò Dei fructus, quid dicent de antiquis eorum peccatis, & de antiqua vita diabolica? ad pudorem enim, reuocabit eos scriptura, & eorum iudicium redarguet. Si verò non reperientes exitum, & quo se vertant nescientes, nos rursus interrogent, dicantq; nobis quoq; difficiles esse quæstiones ad soluendum; difficile item ratione concludere; respondebimus, non esse fructus Dei Apostolos, sed factos, & fictos, non enim tanquam fructus ex radice profusi sunt, sed tanquam creaturæ à creatore, & auctore creati, creaturæ enim eius sunt, non tanquam eiusdem substantiæ, cuius imple est. geniti sunt ab ingenito, cum aliquando non essent, postea facti sunt, qui vt essent quidem, ab eo, qui fecit, acceperunt, non substantiæ ex substantia, sed facti hypostasies, bonitate auctoris: atq; ita facti, *ἢ ἡ ἀρχὴ τῆς ἀρχῆς ἐξ ἑωσὶ*, vt voluntate habeant principatum, ait igitur saluator, si quis vult venire post me, si vis perfectus esse, si vis sanus fieri. si is, qui fecit, sic loquitur, per quem pater omnia fabricatus est, intellige voces auctoris, in voluntate posuit leges; in voluntate legitima recondit. voluntatem agentium scit dominam actionum esse.

Sanè quidem vt nos honoraret, voluit verbum, vt communitas actionum in voluntate penderet. si volueritis, inquit, & audieritis me, bona terræ comedetis, si autem nolueritis, nec audieritis me, gladius deuorabit vos. Sed absurdum est prætermittere sermonem de improbitissimis, ac prætereire considerationem de iis, qui turpissime, atq; effrenatissima licentia in vita versantur, ne nostrum silentium periculofissimam desperationem eis comparet. non magnopere acufant Nabucodonosorem? non valde reprehendunt Pharaonem? non ad summum fastigium turpitudinis progressos existimant? tanta enim de illorum vita, & instituto vbiq; iactant. si igitur in illorum animis nullum studium cerneretur, alia ratio esset. sin verò in adeò malis etiam partes aliquæ eorum, quæ bona sunt, reperiuntur, sensus, perceptiones, intelligentiæ, pœnitentiæ, ac supplicationes, quid iam dicturi sunt? si enim hic turpissimus appareat habere partes quasdam virtutis, & mores aliquos idoneos, quid dicent? si enim respondebunt, mistum esse satanam, vt qui fructus ex virtute, ac vitio mistos attulerit, aut fructus hos non esse diaboli; non enim fructus misti, fructus fuerint carentis missione; neq; quod non est mistum,

In Epist.  
Iude, An-  
gelos ve-  
ro, qui non  
seruau-  
erunt suum  
principa-  
tum, &c.  
Siones  
bona, qua-  
rum com-  
munitate  
cum Deo  
conueni-  
unt. Hi  
sunt om-  
nes sunt  
volunta-  
rie.  
ἀπένοικον  
καὶ νεπω-  
τάτω.



flum; radix misli erit; hi autem misli esse, aliquo tempore apparuerunt, & percepisse scientias, & improbitate capti esse. hac ratione apparebunt non esse verae personae, sed fictae cogitatione.

En Pharaeo, cum increpatur, remittit, & mollitur, fleatitur mente. & percussa anima non perseverat in duritia. Quin potius duo facit, poscit quod optat, & accusat factum. & non videtur anima oculis capta, sed ad poenitentiam procedens, ac petitionem, & supplicationem amplectens, & in precibus blandiens. si autem natura malus fuisset, quomodo de precibus, & poenitentia cognitionem habuisset? si enim bona est poenitentia, & bona item precatio. si vero natura mala, quomodo malum cum bono mixtum fuit? Quomodo ex malo bonum prolatum est? Apparent non intelligere, quae loquuntur. quin potius mente rudi, & inerudita, sputa magis verborum, quam verba proferre.

Nabucodonosor quamvis moribus seuus esset, & fornacem preparasset, & imaginem fecisset, & minis terreret, atque imaginem venerari cogeret, statim ut sancti pueri in fornacem illati sunt, & cedebat flamma, & corpora non attingit factaque est fornax Synagoga, ac pro lamentis hymni & laudes adhibebantur, neque iam tanquam igne carnem vrentelamentatio fiebat, sed ab anima letante cantus celebrabatur, statim inquam prospexit, quae intra fornacem fiebant. honoratusque est angeli spectaculo, misitque vocem, Nonne tres viros in fornacem intulimus? en, quatuor video, & quartum tanquam similem filio Dei. continuo igitur legem de hac re scribit, ut confiteantur Deum, ut testentur veritatem. sit interpret & enarrator visi. Accusabimus igitur enarrationes, an laudabimus? praecleara res est legatione fungi pro Christo. an hoc in malam partem accipi sinamus? si obire legationem pro diuina scriptura, & testes esse veritatis gloriosum est, obiit autem legationem Nabucodonosor, & scripsit, & ad vniuersam ditionem suam misit, sublata est natura mali. siquidem cum sciret, quod erat bonum, ad doctrinam de bono respexit. si vero doctrinam affectione turpitudinis hebentavit, accusatur. aliud enim est, non posse agere, quod honestum est; aliud vero scire quid est, quod honestum est, non tamen agere posse inclinationi affectus succumbentem.

πρὸς τὸν  
αὐτὸν  
ἐπαλὸν  
γίω.

Quod



Quod si in hominibus non sunt reperti fructus diaboli; & eorum, quos diximus, mores pudendi fuerunt, ipsorumque turpitudine conuicta est, quo demum conuertemus nos? nisi forte ad demones eamus; nisi forte dicant, nullum quidem hominem esse fructum diaboli, demones verò solos fetus, & partes eius esse. sed si hoc dixerint, hic quoque pudendi erunt. Primum verò audiant, si demones sunt fructus diaboli, & nullus homo est diaboli fructus, igitur nulla est diabolo in hac vita cum hominibus communitas. sed potius ab omnibus disiunctus est, ab omnibus alienatus est; cietus est.....

Quia verò in errore, & fallacia adhuc progredientes, magis adhuc fallacia, & mendosa verba proferunt, ne silentio prætermittamus ea. aiunt enim, quod nequitia cuncta antegressa, & sola procedens, se ipsam iniuria afficiebat, & sibi nocebat. postquam verò adfuit in loco veritatis, obstupuit, & repentinum lumen admirata est, pugna sua oblita est, inuasit quod apparuit, rapuit lumen, absorbit spectatum. Iam hic risus multus, & magnum ludibrium. hic omnis fabula Græca protrita est, & victa huius fabulæ habitus. fabulæ enim fabulæ dicuntur, sed tanquam fabulis creditur. hæc autem si ut fabula dicitur, sic tanquam fabulæ crederetur, parum damni fieret. nunc verò vincit fabulas. stulti credunt ei tanquam veritati. Si enim apud se manens, ut dicitis, se ipsam obsedit, cum venisset in fines luminis, vidit lumen, & obstupuit, & à sua pugna liberata est, & adorta est lumen visum, & rapuit, quod spectauit, quomodo non apparebunt hæc non posse fieri, & falsa esse? Quomodo enim sibi ipsa iniuriam faciebat? se ipsa interimebat? se ipsa delebat? Quomodo nunc quidem absorbens, nunc verò generans, si ingenta erat? dissoluebatur enim se ipsam interimens; & non iam esse poterat sibi interitum afferens. Si autem partes suas habebat intereuntes, quod pignus esse potest satis idoneum, non totam interire, partibus natis aptis ad intereundum? Si autem se ipsam generabat, & esse incipiebat, & incipiens esse, generabilis erat; quomodo erat ingenta?

Quamobrem non ab alio, absurda eorum opinio, sed ab eorum nugis redarguenda est. multa enim dicunt secum pugnantes: nec expectant, faciat alius, ut erubescant, sed ipsi hoc aliis invident, & ipsi se erubescunt. Quod enim dissolui potest, & dissoluitur, & potest interire, quomodo fuerit ingentum? quomodo

*Opera enim hominum mala opera tenebrarum, & diaboli dicuntur, & sunt secundum imitacionem, & secundum ea est homini communitas cum eo. Deerant hic aliqua.*

ICONSU  
m. 11  
SIV  
27

modo à se exiterit? quomodo non ab alio originem duxerit? cum hoc quidem tale liberum sit ab interitu, & impatibile, illud verò tolli, & perire possit, cum non sit à se. quòd si perit, vt dicitis, hoc enim verbis vestris definitis, ac decernitis, confidentes abforberi, & captam, atq; obforptam interitum cepisse, potest igitur capi, & dissolui, & dissoluta, atq; capta, non iam sustentabit ea, quæ sunt non intereuntium. cum verò non habeat naturam ab incommo, & interitu alienam, non iam ingenita esse putabitur. & si ingenita non est nequitia, neq; ortu, neq; sine carere apparebit, cum aliàs quidem non sit, modò verò solum insonare videatur. quod enim est non est substantia, sed morbus quidam, qui substantiis accidit, qui potest à substantiis, & personis separari. Quòd autem deceptor, quod est, ruina & lapsu accidit, vt esset, ipsa ruina & lapsu attestante ademptionem bonorum priorum, testatur quidem Esaias propheta, cum ait, Quomodo, cecidit è cælo lucifer, qui mane oriebatur? cum verò hunc talem eius statum ex lapsu accidisse sciret saluator, antiquum verò statum diuinum, ac splendidissimum, & maxime decorum fuisse, de eo testatur in Euangelio iniquens, ecce video satanam tanquam fulgur cadentem de cælo. si autem sic natus erat, si sic captus natura, non diceretur tum cecidisse, tum decidisse, quod enim cadit, ex statu quopiam cadit; & quod decidit, ex quapiam abundantia excedit.

Si nominatur in iis, qui ceciderunt, erat aliquando in statu & stabilitate. si autem in iis, qui deciderunt, accusatur, non erat inops, non erat Irus aliquando, cum affluebat bonis copiose. quibus propter morbum aliquem priuatus, in iis qui ceciderunt, numeratur, & habetur. sanè quidem affluentiam eius scriptura fatetur. si enim in eo, quod ait, quomodo cecidit lucifer, nomen luciferi affluentia erat, & qui erat lucifer, ipsam luciferi affectionem, & vim, & affluentiam, & possessionem habebat, & ab hac cum decidit, hac factus est vacuus, inops quidem est illius affluentia Luciferi; vagatur mendicis, & est penè Irus, & in casum, ac ruinam datus, qui olim valde copiosus erat. si autem secundum euangelium ex eorum numero est, qui cadunt, & humi iacent, & in pavimento voluuntur, stetit aliquando, & poterat dicere, Stantes erāt pedes nostri in atriis tuis Hierusalem. poterat audire illud, State succincti lumbos vestros in veritate. & cum posset hoc audire, adhibuit ad cautionem, & firmitatem quod ait scriptura, qui stat, videat, ne cadat. & cum nihil munierit contra hoc, in talibus hodie vertitur, ac voluitur. quod enim semper humi iacet,

iacet, nunquam cadet; iacet. n. humi. quod autem cecidit, & est hu-  
mi, non deueniet ab stantibus, & erectis ad cadendum. & quod sem-  
per est in inopia, & nunquam accedit, vt affluat, nunquam cadet. sem-  
per enim nihil habet, & cadere non potest, quod nihil vnquam ha-  
luit. Quod casum, & ruinam sentit, propter abundantiam & rem a-  
missam sentit. ac ratio quidem prima opinionem istam conuincendi  
talis est.

Sed quia dicunt, quod nequitia adhuc progrediens, ac se ipsam  
intendens a roborans & lumini appropinquans, rapuit ex eo, & ab-  
sorbit. age legationem, quam pro diabolo contra veritatem susce-  
perunt, dissoluere ne defugiamus. extollunt enim his verbis malum:  
extenuant autem veritatem; & nervos tribuunt nequitiae; veritatem  
verò sine neruis ponunt. etenim si nequitia rapuit, lumen verò rap-  
tum est, & quod dominaturum erat, patitur; & quod patitur, patibile  
est. patibilis igitur ipsorum opinione Deus est. Satanas verò expers  
naturæ patibilis. ille quidem malè affici potest; hic verò malè affice-  
re. si enim lumen patibile est, & ipse Deus est patibilis, cum non sit  
aliud præter lumen. Quòd si potuit malè affici, & non à se malè affi-  
ci, sed ab hoste, & pugnante, & deficere à se, & esse apud deterius, παλιν.  
quomodo à propriis separatum est, quod naturam habet copulatri-  
cem? quæ enim secundum naturam apta nata sunt, vt à se ipsis sepa-  
rentur, non insunt natura. si autem ingenitum erat lumen, & erat  
cum ingenito copulatum, quomodo vnquam separari potuit? quo-  
modo à se diuelli, & fieri aliud quam erat? si enim ministravit malo,  
idque per vim à nequitia illatam, deinceps nequitiam eligebat, &  
quæ sunt nequam, perpetrabat. & ignorabat se; nec se iam amplius  
agnoscebat, sed sui potius oblitum erat, putabat enim se tale esse,  
quale est malum. si ita erat, apparebunt hæc repugnantia. Quod e-  
nim ingenitum est, neq; se ignorat, nec aliud erit, præterquam est,  
sed potius tale perseverat, quale erat; nec vnquam à se disiungi po-  
tuit, quod nunquam cœpit esse.

Verum quia anilia, & commentitia loquuntur, non intelli-  
gentes quæ dicunt, sed ex iis ipsis, quæ dicunt, reuicti, & se δισωπὲρ  
erubescences, hoc etiam ad ea, quæ dicta sunt, addamus. si po- μενοι.  
terat lumen commutari, & aliud præterquam erat ipsum, fieri, &  
esse apud nequitiam, ac sui obliuisci, & facere, quæcunque ne-  
quitia facit, potuit hoc euenire principibus nequitiae; vt magis  
potuerint mutari in bonum. si autem mutatio fieri potuit, & varia-  
tio,

tio, quomodo non melius erat ex vitio in virtutem mutari, quam ex virtute in vitium? Quomodo passus est Deus & permittit rapi lumen? Quomodo non prohibuit aggressionem? Quomodo non seruauit sua? Quomodo postquam ablata sunt, noluit eorum prouidentiam & procuracionem habere? Quomodo non prius impetum, & conatum coërcuit? Quomodo non magis seruauit, ne caperentur, sed potius capta, & direpta auxilio non honorauit? si ideo fecit, vt lumen cum in malis esset, mala mutaret, quasi mutari possent mala, non igitur mala natura mala sunt, quæ cum mutari possunt, sponsonem in mutatione ipsa accipiunt, non esse natura mala.

Si autem sciebat non mutari, neque natura apta esse, vt mutationem caperent, quomodo frustra fuit, vt bonum iacturam faceret, & lucrum non tribueret malo? Quomodo fuit ipsa mala non mutari, se verò & sua bona mutata neglexit? Absurda est enim hæc præscriptio, ipsum esse mutabilem, quia sua mutantur; non esse autem mutabilem materiam. Atque hoc quidem sic redarguimus, vt prolixum sermonem contrahamus, silentio prætereuntes illa integumenta, quæ obtendunt, illas repugnantias & fabulas & pugnas Gigantum, vt quæ de principio rerum dicta sunt, instar cuiusdam subsidij dicta sint, habeanturque, tanquam semen quæstionum.

*Finis libri primi.*



AN.



# ANNOTATIO TVR- RIANI.

**A**CTENVS liber primus, & bona  
pars secundi, vt ex argumentis pri-  
mi & secundi libri in principio ab  
Auctore propositis intelligi potest,  
si cum his haectenus con-  
ferantur.



K 2

Titi

TO  
NISI  
m. 11  
SIV  
27

ANNO 1510

IN

ANNO 1510  
IN  
ANNO 1510  
IN  
ANNO 1510  
IN



1510

1510

Titi

# EPISCOPI

BOSTRENSIS

ADVERSUS

# MANICHAE-

OS

LIBER SECVNDVS.



K 3 Ducit

TO...  
SIV  
27



σπυδαίο  
λογίων.

λιάν  
ἀσύστατον.



Vcit iam nos deinceps ratio disputationis ad differendum sero de Deo, fortassis enim nihil à ludo differunt, quæ hæcenus ad confutationem fabulæ illius dicta sunt. ne igitur risum moueamus prudentibus, commentum valde sibi repugnans accuratius exequentes, quæ autem à Manichæo magis mystica inuenta sunt, quæ sunt cõplura, silentio prætereuntes, aggrediemur iam docere, nequitiam quidem nequaquam secundum substantiam existere, neque materię principium vllum principio carens Deo contrarium esse. Vnum verò esse principium omnium, & vnum Deum, qui omnia creauit bona, & ipsius sapientia digna.

Manichæi enim, postquam in disputatione de principiis conuicti sunt, ad hanc dubitationem tanquam difficilem ad enodandum & multas tendiculas, & captiones contra differenti præbentem deducuntur. Querunt enim, vnde mala existant? nos autem fidenter respondemus, cum vnus sit Deus, qui cuncta fecit, nihil quidem secundum substantiam malum esse, cuncta autem valde bona, & differenter bona, & ad varios vsus facta: nihilq; eorum quæ facta sunt, sine ratione factum esse, sed vnumquodque eorum, quæ effecta sunt, paruum & magnum, in cælo, & in terra, & in mari habere in se rationem suæ essentia, fabricatamque esse sapientiam Dei ineffabilem vniuersum hoc tanquam integrum, & totum corpus constitutione partium, & membrorum, vt quidquid ademeris rationi eorum, quæ facta sunt tanquam superuacaneum, & inutile, totum corpus mutilatum esse videatur, siquidem quod in rebus videtur vilissimum, & despicatissimum, absolutiõnem corporis complet. nihilq; in rebus otiosum est, neq; temere, atq; inaniter factum, nec ad superuacua ambitionem interpositum.

Sola verò hominum ad nequitiam peccantium in iustitia rectè & iuste, ac vere nequitia est, non tamen ex nequitia principio carente profecta, quam Manichæus, cum non sit, esse excogitauit tanquam



quam ab hac principio carente, quam finxit, proficiscentem. ut satis in superioribus disputatio aperuit, & docebit clarius in iis, quæ sequuntur.

Quamobrem cum de hoc primo actum sit, sic via & ratione progrediemur, docentes nihil esse in rebus malum secundum substantiam. quin potius quæcunq; in sæculo gubernat, ac dispensat Deus, decore, ut sapientiam eius decet, & ad utilitatem eorum, propter quos hæc facit, gubernat, ac dispensat. ornatum igitur extruxit Deus, & de hoc ii, contra quos disputamus, non fluctuant, neq; tempestate iactantur, si enim mundum ornatum & decorum in inornatum mutant, de modo, & causa facti mundi contententur. hominem vero, etsi est pars mundi, tamen quia eum ciuem rationis participem præposuit, ac præfecit Deus, in cæteris aliis, quæ neq; ad nequitiam, nec ad virtutem spectant, ut gubernaret, sibi ipsi reservavit, virtus & vitium ut in potestate eius esset, fecit, ingenerans naturam utriusq; cognitionem. ut instar oculi hanc adducens & adhibens, non solum cum perfecta scientia in vita ambularet, sed esset auctor officiorum virtutis.

διὰ τὴν  
μὲν οὖν  
ταύτην.

IC...  
SIV  
27

Homo igitur iniuste operans, iuste de peccato accusatur. Si enim peccatum committit tamquam non possit ab eo se abstinere, iniustam querelam subit. Sin autem cum posset non facere, facit contrarium, merito accusatur tamquam iniustitiam suscipiens, & peccatum recte ratione criminis appetatur peccatum, quod semper committitur præter rationem, qua uti potuit. ut sit iam peccatum omne id, quod præter rationem fit. quamvis ex iis, quæ sunt secundum naturam, occasione, & subsidium, accipiant. usus enim eorum, quæ sunt secundum naturam, à ratione auersus, efficit, ut peccatum existat. ratio autem in nobis exploratrix est eorum, quæ secundum naturam sunt. ex quo fit, ut non lateat, cum committitur.

διὸ καὶ  
σικὸς.

Si ergo ad exercitationem virtutis rationem nobis insitam exerceamus tamquam corpus temperato motu, sanam hanc, & benevolentem reddemus. Sin vero exercitatione, & accuratione hanc non excoluerimus, languescens obscurior efficitur, ac demum neglecta cecatur, penes nos vero est, ubiq; ratione, quæ in nobis est, uti, & sicut, qui artem ædificandi exercent, sic norma ac regula ad accurationem virtutis adhibita, hanc rationem excolere, tamquam semina in terra sparsa, quæ cum neglecta sunt pereunt.

Hoc loco a mbiguitas quæstionis exoritur. Quare tanto periculo

culo

culo obiecti sumus, vt penes nos sit esse bonos, & non esse? vt non omnino boni efficiamur, sed plerumque, non tantum quandoque, mali, necessarium non simpliciter, vtile periculum, alioqui a toto aberraremur, totoque frustraremur. etenim si fecisset nos Deus, vt non possemus peccare, nunquam facti essemus boni. bonus enim apud homines est, qui iustus, & temperatus est. abstinens autem ab iniustitia, sit iustus; & fugiens intemperantiam, temperatus, potestate igitur contrariorum comparatur, & acquiritur possessio contrariorum. vt si quis non habeat potestatem intemperantiae, non possit fieri temperans; non. n. non posse suscipere incontinentiam, facit continentiam: nec infirmum esse ad iniustitiam facit iustitiam, sed posse facere, ratione verò abstinere, ne faciat, hæc est virtus temperantiae, & iustitiæ; & non posse solum, sed à natura inuitari, & titulari, vt aliqua vera laus sit voluisse non facere. hæc enim, & non alia inueniri potest apud homines virtus. Deus enim non est vocandus temperans, aut fortis, & alia huiusmodi; si quidem supra humanam virtutem est. etsi enim dicitur iustus, aliter quàm nos dicitur. homo autem, quatenus homo, quomodo fiat bonus, quærimus. vnicuique enim eorum, quæ facta sunt, mensura naturæ decreta, & constituta est: quam quidem transire & superare non potest; sed deficere potest perfecta, & absoluta virtus. Quæ igitur mensura homini ad virtutem definita est, & vt sit bonum temperantiae, & iustitiæ, & aliarum virtutum? supra hæc enim vt homo sit bonus, fieri non potest. si enim temperantia est continere cupiditates voluptatum, oportet esse in potestate ea, quæ temperantiae sunt contraria, quorum dicitur continentia, quæ est temperantiae nomen, & officium, atque opus. non esse autem in potestate voluptates, priuationem temperantiae planè efficit. similis ratio est iustitiæ, & aliarum virtutum.

Siquis verò contra dicat, oportuisse nos non esse aptos ad suscipienda contraria virtutibus, vt intemperantiam & iniustitiã, sicut Deus, nihil aliud hic dicit, quam oportere nos non esse homines. vt si quis spectaret aquilam in sublime volantem, & succenseret naturæ equi, eamque acerbè vituperaret tanquam dissimilem naturæ aquilæ, cum oporteret equum ex natura equi considerare. Sanè quidem hominem fecit Deus, qui esset homo, animam item cum corpore, quia est habitator mundi corporeus. Hic igitur si fiat bonus, quoad naturam hominis patitur, spectatus, & probatus reperiatur. Quomodo autem fiat homo probus, inquirendum est, atque requirendum à Deo,  
vtrum

utrum fecerit eum, homo igitur fiet bonus, si sit temperans, & iustus  
 si enim liceat meliore modo fieri hominem bonum, accusandus sit  
 Deus, qui illo modo praestantior non fecit hominem bonum. Sin  
 autem quantum in natura hominis situm est, nihil melius, opus est  
 homini temperantia, & iustitia, aliisque virtutibus. hic rursus quaerend-  
 um est, quomodo homo temperatus, & iustus esse potest? vult enim  
 qui eum fecit, ut talis sit. igitur temperantia sine comparatione, &  
 contentione contrarij fieri non potest; similiter iustitia: alioqui nun-  
 quam erit temperantia, neque iustitia.

Quod si hoc modo non possit fieri iustus, & temperatus, non  
 aliter fiet homo iustus & temperatus. & tunc merito reprehendatur  
 Deus, quia fecit, ut impossibile esset fieri hominem bonum, tempe-  
 ratum dico, & iustum, quo quidem modo tantum, & nullo quopiam  
 alio futurus erat gloriosus; & sapientia auctoris sui dignus habend-  
 us. Si autem qui contra dicit, perseveret contendens oportuisse na-  
 tura, & non labore fieri hominem temperantem, rursus hic omittens  
 quid sit temperantia, ad eligendum, ac sumendum, quod a ratione  
 aversum est declinat, tum quia ponit, & statuit, posse hominem sine  
 temperantia & iustitia esse dignum auctore suo, qui eum fecit, tum  
 quia non vult considerare, quomodo possessio haturum virtutum  
 comparetur, quia quod vinculo naturae factum esset, nunquam es-  
 set temperantia, quae minime aliter quam resistens voluptatibus  
 cognoscitur; ut pugnans, & vincens eas vocetur, & sit temperantia.  
 similiter in aliis. sic sane hominem construxit naturam quidem ne-  
 que bonum, neque malum, committens rationi electionem melioris. si  
 verò neque bonum, neque malum, quaeritur, quid restet.

Considerandus est puer parvus, in quo cernitur utriusque ex-  
 tremi adeptio, id est, neque bonum, neque malum esse. substantia e-  
 nim huius bona est, bonitatem verò secundum virtutem nondum  
 asciuit. sic item & aurum bonum est natura, ratione verò virtutis  
 non est bonum, cum sit inanimatum: similiter preciosi lapides, &  
 omnia, quae sunt, unumquodque secundum propriam in aspectu pul-  
 chritudinem: haec ratione homo etiam pulcher est, valde pulcher  
 substantia & essentia ipsa, bonitas verò per solam virtutem asci-  
 citur, labore comparatur. idcirco fecit Deus, ut hoc in potestate eius  
 situm esset, si igitur potestatem quidem dedisset Deus, non autem na-  
 turae praefecisset cognitionem virtutis, & vitij, visus esset cecum au-  
 rigam curruj velocissimo praeficere. sin verò ambo simul commiscuit

L pote-

potestatem ad asciscendum, quod melius est, & cogitationem ad discernendam, & muniendam electionem, artificem quidem aurigam mentē adhibuit. Hæc autem currum naturæ saluam, & incolumem agitabit, nisi somnum in studio capiens à voluptatibus deturbetur.

*Qualitates  
bonitatis  
scilicet, &  
nequitia,  
sive virtus,  
et vitia,  
ut dicatur  
aut bonus,  
vel malus.*

Substantia quidem & natura pulcher est homo, ut aurum, ut lapis pretiosus, ut opus Dei; bonus verò, aut contra malus, proposito hæc enim adiacet ei, tanquam quæ fieri possunt. qualitates verò adueniunt, & adiunguntur secundum institutum, quo ducitur, & secundum electionem propositi, ut nequitia, quæ in actione consistit solum, antequam actioem non existit per se. habet tamen homo potestatem nequitiam quam potest operari, habet, inquam, potestatem eius, non ut eam operetur, sed ut non operans eam, optimus appareat. Si enim non esset penes eum actio, videretur subire invidentiam creatoris, ut haberet impedimentum approbationis, & priuationem libertatis, ut qui non haberet in potestate sua situm, ut esset bonus, ut iam conditio, partesque naturæ, quæ in homine inferiores videntur, verissime superiores, ac valentiores essent. nunc autem nequitia minimè per vim subit, cum non sit secundum substantiam. & si homo non haberet eius potestatem, non esset penes eum fugere eam. fugit enim, non tanquam existat, quod non existit, sed tanquam id, quod ab ipso fieri potest.

*Sicut apud  
homines  
fit.*

Quomodo autem, qui odit malum, quod optimum est, compararet, nisi illud, quod facere poterat, volens recusaret, virtus enim in hominibus penè nihil aliud est, quam recusatio, ac declinatio vitij. temperatus enim est, qui non est intemperans; & iustus, qui non est iniustus, & similiter in aliis. Deus enim bonus est, non quia non facit iniuriam. tamen si possit, sed quia solummodo beneficus est. Quamobrem solus est bonus, in hominibus verò bonum ex fuga mali primū existit, cuius potestatem necesse est esse ei, qui vult esse bonus, ut sit penes ipsum non facere malum. etsi enim à perfecto præter fugam contrariorum requiruntur etiam actiones, fuga tamen & declinatio deterioris maius quid est ad probationem. hinc fit, ut apud homines nemo vacuus à peccato reperiat. quippe cum probatior sit homo propter difficultatem abstinendi à peccato. quandoquidem hoc potissimum modo signatur virtus, actionem autem bonam etiam apud valde malos reperimus.

*κατακ-  
τησειται*

Liquet igitur beneficiū esse homini potestatem suscipiendi peccatū, à quo quod se abstinens spectatur, & probatur, & non aliter. libera igitur potestate virtutis & vitij honoratus est homo, habens natura horum cognitionem, quæ in actionem venire possunt, & priusquam veniant,

niat, non sunt. Vbi enim erit quod agitur, si non est, qui agat? Quare  
 adest nequitia, cum est actio eius; abest, cum non est. Continuo etiam  
 Deus bonus cum sit, & solummodo beneficus, nihil mali facit, neque per ig-  
 norantiam abstinere a nequitia, neque quia deest potestas, omnino ab ea se-  
 iunctus est. Quomodo enim ignoret nequitiam, quae docet, non adhibere  
 eam ad actionem? Quomodo rursus rationi consentaneum est, existimare,  
 quia desit potentia, Deus a nequitia abstinere? non enim ille qui est solus  
 bonus, quia non potest iniustus esse, bonus est, sed quia perfectam  
 potestatem habet non volendi iniustitiam.

Si autem dicamus, non posse Deum aliquid iniustum facere, recte  
 quidem dicimus, attamen, non posse, non ad infirmitatem referimus, sed  
 ad summam perfectionem non volendi quod iniustum est, & ad immutabile  
 declinationem deterioris. cum enim sit secundum naturam immutabilis, im-  
 mutabile est ei non esse quicquam mali facere. Quomodo potest quidem, sed non  
 facit natura immutabili non volendi malum. atque ita non est nequitia apud  
 Deum, non solum quia non existit per se, sed quia nec est in actione.  
 Quia vero hominibus quodammodo non est immutabilis recusatio ne-  
 quitiae, & si quis ad virtutem ascendit, solum videtur esse nequitia dum est  
 in actione, non autem est ante actionem. sic hominem Deus honoravit fa-  
 bricans eum ad imaginem suam, ut sicut ipse libertate naturae bonus est, sic  
 homo libertate propositi imitator Dei esset, non abstinens a peccato,  
 quia desit naturae ipsi potestas, sed libertate propositi virtutem honorans.

Hec autem satis, abundeque declarant tot mutationes ad virtutem, &  
 vitium, quae in hominibus saepe numero reperiuntur. in quibus neutrum  
 horum diuturna consuetudine fixum inest. Quorumque enim necessitate na-  
 turae facimus, horum mutationem non recipimus. Quaecumque vero ratione  
 propositi, & deliberationis facimus, haec in nobis variant, & aliis aliter  
 habent ad propositiones, quae in proposito fiunt, non igitur peccare naturale  
 est, & necessarium hominibus, sed voluntarium est malum. declarat  
 autem labor virtutis voluntarium eorum, qui tam acquisierunt, in  
 quibus si paulum negligentiae insit, periclitatur possessio virtutis parta.

προαιε-  
τικόν.

Si quis vero aduersus hoc producat eum, qui vult quidem quandoque ab-  
 stinere a pravis, dicit tamen se non posse; advertat ipse, quod sicut morbus  
 corporis diuinus non facile mutat, sic animae habitum non bonum tempo-  
 re fixum non est facilis ratio depellendi in longinqua consuetudine. nisi ma-  
 ius aliquid bonum subeat, quo antegressum malum expellat. hinc fit, ut saepe  
 aliquis cum effrenate in turpe quoddam opus impetum fecisset, vel propo-  
 situm esset adulterari, solo aspectu mariti, metu cupiditatem repressit,

Mutatur  
morbus,  
cui, depul-  
so morbo  
succedit  
sanitas.

aut memoria legam in mentem reuocata. alius cum deliberasset latrocinari, metu supplicii cupiditatem coercuit. sic peccata opera sunt affectionum, non autem ex natura efflorescunt. honoramus autem omnes, & amamus, qui æquitatis participes sumus, leges, quæ maleficos sine vlla excusatione puniunt, sic communi opinione per opera confirmamus non cogi homines natura ad maleficia, sed quia proposito & deliberatione ea eligunt, supplicio dignos declarari.

Sed quia Manichæi aliter etiam nituntur convincere duas naturas contrarias in nobis esse, quia aliquando quidē nos cogitamus mala; aliquando verò bona, aduertendum est, quia naturalis cognitio vtrorumque in nobis inest, necessario nos ad cogitationem eorum, quæ cognoscimus, excitari, nullam quidem iacturam, aut damnum facientes, sed potius totum lucrantes, preposito, & antelato, quod melius est. Quomodo enim in hominibus motus, & excitatio ad melius, testata esset, nisi vtrumque naturaliter cogitari posset, iustitia scilicet, & iniustitia. cognitio namque necessaria est ad diiudicandum; cogitatio verò rimatur cognita, propositum, in quam partem vult, propendet. hæc verò non sunt partes animæ differentes, sed tanquam operationes eius. non tamen inest oculo nostro naturaliter, vt videat aliud si accidat, vel actiones malas, & bonas, ac neutrius causa fuerit, mens enim aspectum recipit, visa diiudicat, atque discernit. sic cogitatio necessario instar oculi mouetur ad ea, quæ fieri possunt, non mouens animam ad ea per vim, sed cognitione naturali hæc attendens. continuò quidem si volumus, simul contraria cogitamus; simul tamen contraria facere non possumus.

ἀφώρῃσι.

In hunc modum actio quidem electione propositi decreta est; cogitatio verò naturalem cognitionem virtutis, & vitij testatur. nisi enim hæc præcognosceremus, nec ea cogitarem, neque quod melius est, eligeremus, prægressa omnino electione deterioris, prauis institutis anticipati. quam obrem magis est studendum, & laborandum hominibus in educatione filiorum, quam agricolis in incremento arborum. Interpretari igitur cogitationem nostram indicium esse duarum naturarum contrariarum, perinde est, ac si quis diceret, esse aspectum mixturem omnium colorum, quia in hæc omnia aciem intendit. Quòd igitur necessario accepit homo vt posset peccare, sic à Deo factus, vt non aliter posset ex virtute viuere, id quòd Deus cum esset bonus & non inuidus, naturæ insitum esse voluit, & quod propter ea, quæ iniuste apud homines fiunt, nullo pacto necesse est putare

ture materiam principio carentem & nequitiam resistere Deo, nec existimare penitus secundum substantiam per se existisse nequitiam, sed in actione consistere, superius demonstratum & conclusum est.

Deinceps de sapientissima Dei gubernatione, & de iis, quæ inanimiter, & temerariè à Manichæo in criminibus ad asserendam nequitiam obiecta sunt, pro viribus dicendum est. multam perturbationem ordinis in nostris rebus accusat. diuitias & paupertatem, sanitatem & inualitudinem, tanquam sit in eis inæqualitas, criminatur. item illud, sæpe maleficium supplicium legum effugere, innocentem verò puniri, quandoq; etiam improbos imperium in alios inuadere. dicendum igitur est, productum esse hominem ab auctore suo in hanc vitam, vt nullum aliud negotium ageret, quam vt solam pietatem & virtutem compararet? hæc enim si acquisiuisset, rectè hanc vitam tranaret. his verò neglectis, periculose demergeretur deceptus. alimentum autem corporis, & vestitum, & reliquum tegumentum dedit Deus ipsi non tanquam dona præcipua, sed tanquam necessaria ad vitam hic tuendam, vt tum corpus habet, tum horum præsidio viuat, tum impigrè laborem suscipiat, & quæ dicta sunt, parcat.

Lumen autem asciuit ei Corporeum naturæ eius conueniens, tum aërem ad ducendum spiritum, & aquã & quæcunq; alia necessaria. hæc enim auctore Deo communia sunt naturaliter cum omnibus hominibus, nec vllus dicere possit minus luminis im partiri pauperi, neq; minus aquæ suppeditari, neq; min⁹ aëris ad respirationem, quæ est ad viuendum maximè naturalis. & alimentum necessarium tamen si non sine sudore suppeditat. aurum autem, & argentum & lapides pretiosos qui habent, ab ipso accipiunt, non tamen plus conferre possint ad facultatem, quam superius diximus, nisi magis etiam impedire, tamen neq; profectio hominibus à Deo proposita, paupertate impeditur, neq; diuitiis facilius efficitur. Sed vtraque conditione studiosis, & maxime industriis, ac gnauis licet constitutam, viam, & destinatum conficere. paupertas enim per tolerantiam & libertatem, opulencia verò per modestiam, & cultum, honoremq; auctoris honorum, quem anteponit bonis ipsis, perficere potest, quod studet, & laborat. vt neq; pauper sine difficultate, & laboribus assequatur virtutem; sed egeat studio, & accuracione, si qua in ipso inest incuria, ne propter paupertatem aliquid illiberale faciat, & dum iniquo

iniquo animo fert paupertatem, animum ſuum, ac voluntatem patefaciat, vt qui magis, quam Deum honoret ea, quæ à Deo dantur. neq; qui diuitiis affluit, poſſit ſibi inſtar rei venalis pietatem, & virtutem comparare, quin potius plus in hac re ſudandum ei ſit. magis enim hic, vt par eſt, fluctuat, & tanquam tempeſtate iactatur mens, cura & ſolicitudine in bona externa, & in animam partita. & niſi exiſtimet eſſe opes omninò πᾶρεργων, ἕξ γων verò ſolum amicitiam cum Deo, demergetur in amentiam integram, non intelligens ſe primò & ſolo bono relicto, ſeruire mortuis diuitiis, quas cum reliquerit aliis, ipſe abibit.

Ex æquo igitur vacat periculo via virtutis; neq; diuiti, neq; pauperi impedita. inter ſe autem diues, & pauper ſolum differunt externarum rerum acceſſione, quæ nihilo plus valet ad id, quod propoſitum eſt, adipiſcendum. atque hoc quidem neceſſario diuina ſapientia diſpoſuit. quando enim pauper exercetur ad tolerantiam capiendam, videns apud alium opulentiam, animus etiam diuitiis exploratur tenuitate pauperis. inutiles enim ſunt opes, ſi non adit paupertas. cui enim benignè faciet opulentus? & paupertas non eſt ſpectata, & probata, niſi aduerſante opulentia. Denique neque diuitem eſſe beatum eſt, neque pauperem eſſe, miſerum. quandoquidem ſolus ille, cui accedit firma animæ ſecundum virtutem felicitas, ſiue diues, ſiue pauper ſit, compos eius eſt, cuius cauſa à Deo factus eſt homo. vt iam opus ſit à Deo accipere, vt ſit, à ſe verò accipere, vt bonus ſit, adiuuante Deo. vult enim Deus, vt homo eum ſit rationis particeps, habeat aliquid à ſe ad glorioſam fiduciam.

Quocirca non admirabimur, neq; beatum prædicabimus virum diuitem maleſicia committentem. neq; ſtuebimus contra Dei prouidentiam, quòd, qui talis eſt, diuitiis affluat. Quid enim amplius habet vir improbus diues? Quid verò non minus habet? vigilæ enim & pericula propter pecunias, dolores verò de conſumptis maiores, quam voluptates de acquiſitis. non enim tam delectat, quod a deſt, quàm cruciat, quod abeſt. & ſemper cupiditas diuitiis augetur. ita vt ſine intermiſſione cogitatio habitet cum affectione eſtrana, corpus verò ſæpenumero cogitatione contabefcat. Demum quæ videtur præſtantior conditio affluentiam opum poſſidentis, difficilior, & moleſtior eſt, quàm conditio egentis. ille enim deliciis, & mollicia cubilis vtens, quandoque in varios morbos incidit.



incidit, cum pauper siccitate victus necessarii valetudinem corpori alciuit. at quis dicat non esse corpus excellentius. & magis honoratum, quam bona externa? quod si habitudo corporis valentior in illis perseverat, qui necessarius moderatè vtuntur, iis verò, qui se ad immoderatas delicias dimittunt, simul robur & firmitas corporis relaxatur, an non liquet hac parte, & hac ratione inferiores esse diuitias paupertate? præterquam si quis reperiat, quæ egeat necessariis, quod quidem nunquam studioso virtutis accidit.

Nunquid voluptas ciborum sumptuosorum permanet cum sensu eorum, qui semper vsi sunt eis, an valde vilis efficitur diuturno vsu? ut iam nihilo plus habeant isti in eo, quod ad delicias & voluptatem adhibent. semper enim quod consuetum est, facile contènitur. Pauperi autem quod tenue, & vile est, propter sanitatem suauissimum est. Si quando verò sit ei, quod sumptuosum est, peregrinū, & nouū ducit ad fruendā relaxationem. ut hac ratione, qui rectè cogitet pauperem reperiat præstare diuiti. morbus autem & bona valetudo quæ necessaria sunt. Sanitas enim valet interdum ad iniustitiam & offensionem virtutis, morbus item aliquando ad euertendum, & refutandum peccatum valet, iuuatur enim sepe numero ratio externis fluctibus. interdum experientia inualetudinis de beneficio bonæ valetudinis admonet ad declinandum maleficium. esset autem despecta sanitas, si vniuersè per se permaneret, nihilq; quod eam impediret, posset contingere.

Si autem ille quidem iustus agrotet, hic verò audax bene valeat, ille quidem cohibetur vnda adiutus, ut vita eius querela, & reprehensione careat, hic verò tanquam desperatus traditus est peccatis. Si rursus audax, & valdè impius morbo conficietur, iustus verò firma valetudine sit, punitur ille quidem sensu supplicij, non ut iuuetur, sed ut alios exemplo iuuet; hic verò, tanquam, qui soluti, vinculis mansuete versari potest, sine agrotatione perseverat. quamuis vtraque prorsus vbiq; vilia sint; & miser, qui prouidentiam hinc negat, aut accusat, ille enim morbus solus mortifer est, qui animam ad auertendam virtutem male afficit. in quibus igitur ratio salua, & incolumis perseverat, siue agro corpore, siue sano sint, vtriusq; vtilitatem sentient. et si enim non omninò morbus maleficum punit, siquidem leges etiam interdum malefici effugiunt; an propterea desinet lex esse

esse impedimentum maleficis, quia non per omnes Legi subiectos procedit? an admiratio sapientiae Dei hinc etiam, sicut vndiq; declaratur? si enim penitus constaret, nullo pacto posse hominem effugere supplicium legum, qui quodcumq; lege veritum est, admitteret, abstinere peccato, non esset spectatum ac probatum, sed adulterium & incertum. omnes enim metu supplicii, non odio maleficij abstinerent. oportet autem honestum, & probum magis odisse maleficium facere, quam maleficij poenas dare, quamuis iniuste.

Hinc fit, vt maior pars maleficorum leges effugiat, quoniam non est hoc supplicium delinquentium, sed opinio tantum vindicationis. mors enim naturalis sine supplicio etiam adueniet. Quare alia est ultio, & supplicium delinquentium, cuius effugium reperire non possunt. euadunt autem plures ex nostra vindicta, vt posse latere tormentum, & cruciatus, humanę cogitationis efficiatur. Et vniuersę quod dictum est ad furantem, & mentientem, & grauiora maleficia committentes porrigitur.

¶ πρὸς  
15.

Sed dicit aliquis, magis torqueretur conscientia hominum, si nullus maleficus deprehensus puniretur. contra verò euenit, vt planè sit hortatio quædam ad maleficium faciendum, quosdam maleficos aliquando non comprehendi à legibus. vnde vtrumq; necessarium est, & incidere maleficum in leges, ac comprehendi ad exemplum vitandi maleficij; & effugere tormentum, & cruciatum cogitationis. Homini enim ad eligendum virtutem & vitium libero, sic factò à Deo, foris accedit, vt quodammodo mens eius adiuuetur, & quasi fulciatur timore, & vacatione timoris, hortationibus, & dehortationibus, morbo, & sanitate, paupertate, & opibus. deniq; omnia, quæ contraria inter se videntur, consonè, ac conuenienter in vnum tendunt, & spectant, vt humanam mentem exerceant, & nemo se dedat somno, quin potius hinc, & illinc pulsus, & excitat<sup>9</sup>, vigilet ad officij pietatis & virtutis obeundum. si verò accadat, vt aliquis puniatur non solum innocens, sed vir admirabilis, & ab eo poenę virtutis repetantur, quid nocuerit sustinenti? arguit quidem hoc eos, qui faciunt, non cum, qui sustinet, licet vsq; ad mortem iniquum supplicium progrediatur. qui talis est, anticipatione mortis, quæ pertinent ad vitam futuram meditatus est, cui enim nihil suaue est eorum, quę multis iocunda sunt, nec acerbum, an non est hic ante mortem huic vitę mortuus? Qui hic ea, quæ existimantur insidię factę, loco beneficij

neficij & gratiæ ducit, qua expectat post hanc vitam maiora bona consequi, quam ea, quæ relinquere videtur, ad quæ, ab inimicis suis cito dimissus, tanquam beneficos ducit eos, qui ei insidiat sunt.

Alia etiam ratione apud homines necessarium est permitti à Deo tormenta, & cruciatus, vt magis spectata, ac probata sit libera virtutis susceptio, si neq; mortē oppetere reformidet. Iam eū improbos, & auaritię deditos viderimus aliquādo imperiū tenere, & ad magistratus eligi, scire oportet permitti hoc prouidentia, ac gubernatione Dei. cum enim, qui sunt sub imperio, peccatis abundant, iustum supplicium est iniquitas eorum, qui imperio præfunt, qui vlciscuntur, quæ faciunt, & puniunt, quæ committunt: vt maximè pateat, non contingere, vt peccatum impunitum sit. rectus quidem videri potest iudex, quia nequid mali committat, eos, qui committunt, puniunt. Sin autem is, qui iudicat, incipit ea admittere, quæ in aliis vindicat, & punit & quidem impensius, vt suadeat, se nihil mali agere, plane apparet ius firmum, & valde horribile esse incidere in huiusmodi magistratus, ad sustinendas poenas propter improbitatem morum. feruntur autem in scripturis huiusmodi sententiæ diuinæ manifestæ contra eos, qui delinquant.

Manichæus tamen amentissimus, vt dogma nequitie ingentia, & blasphemia in Deum apud eum firmum esset, nullam partem gubernationis Dei prætermisit, quin eam calumniaretur. videmus sæpe iustos, qui deliquerunt, sub ditone, & potestate impiorum esse, vt sic castigentur, sicut cum generosus filius, qui patri non paret, à peregrino, & hospite verberatur, vt dolor plagarum, & ignominia verbera adhibentis delinquentem mutent. vnum enim est ac solum, & verum, vt diximus, quod Deus ab homine in vita requirit, vt efficiat sapienti cogitatione, ne virtutem vlla ex parte offendant. quod quidem si attendat vel solum hoc, beatissimus sit, quamuis nihil aliud in vita habeat. hoc si in vniuerso sermone de prouidentia commemoretur, nulla suspicio relinquatur de inæqualitate & perturbatione ordinis in iis, quæ à Deo gubernantur. si quis enim reperire possit, quod aliis laxata esset via virtutis pia, & sancta, aliis verò clausa, videatur contra hoc caput bonorum esse in inæqualitate accusatio gubernationis. Sin verò id, quo solo potest quis verè beatus esse, omnibus æque communiter propositum est, vt possit esse compos eius, quam oppressionem, aut inæqualitatem poterit quis obiicere quam

M libet

libet accusandi cupidus? quandoquidem habere plus bonorum externorum, rursus rationibus ad æqualitatem reuocatur. vt non minus, vel etiam magis delectetur pauper iis cibis, qui ei adhibentur, quàm diues.

Similiter euenit in iis, quæ ad tegumentum corporis pertinent, quamuis viliora sint sensum informant, quæ ei consueuerunt apponi, vt nemo, quod pl<sup>u</sup> est, sentiat; sensu cõsuetudine hebetato; nec alius quod minus est. quia propter consuetudinem non percipit sensu, quod deest. hinc continuò fit, vt barbari, quod maius est, nudo corpore vitam degentes, & sine stragula veste cubantes, & asperis indumentis vtentes, nunquam paterentur, vt relinquerent rationem viuendi gratam, vt qui propter consuetudinem, quid eis desit, non intelligunt: immò qui non possunt hanc relinquere, & potius, ac libentius desinerent rectè valere, & mallent frigora, & ardo-  
rem solis tolerare.

Atq; ad vitam degendam, ac iocundè quidem degendam, nemò plusquam alius habet in vita. communia sunt omnibus, quibus natura recreamur, accubationes, & epulares somni; communia alimenta; & eorum fructus, ac iocunditates, si quis prudenter præstantiam quidem eorum prætereat, vsum verò sensu experiatur, & probet. Communes item sunt non minus exactè animarum, & corporum dolores. atque in his quidem magis reperietur exsuperantia apud eos, qui in vita plus habere videntur. Quare cum hæc ita sint, vbi erit inæqualitas in gubernatione Dei? qui varietatem, non inæqualitatem in rebus nostris posuit. aliud enim est varietas sapientia, quæ in mundo decorem habet; aliud perturbatio ordinis in gubernatione. Si quis reperire posset alios quidem homines natura ab affectionibus animæ, & corporis liberos, alios verò non liberos; rursus alios sine cibo viuentes, alios cibo alentes vitam; aut alios, qui nequitiam suscipere non possent, alios, qui possent; item alios mortales, alios immortales, rectè iste in æqualitatem gubernationis reprehenderet, & turbationem ordinis, quasi magis fortitione, quam ratione, res nostras Deus procuraret. Sed si idem modus in ortu omnium, vna & eadem naturæ educatio, & eorum, quæ necessaria sunt, sine quibus vita degi non potest, communis est omnibus ex æquo suppeditatio, finis autem omnium vnus, & solus, cum apparcat summa æqualitas in omnibus; vel cõcursus prorsus est, qui Dei prouidentiam tanquam non ordinatam  
accu-

secufat, vel oculis maleuolis, & inimicis res aspicit, & ob eam cau-  
sam non est dignus fide. etenim si perturbatio ordinis in varietate  
ineft, decorum varietatis, quod sapientem artificem magnope-  
re decet, reprehendit ifte. Pergat etiam improbare varietatem  
colorum, & diuerfitatem ac differentiam ciborum, ac potio-  
num, quæ mirabiliter fensus recreant eorum, quibus adhiben-  
tur.

Hinc profecti funt miferimi homines, qui ad defendendum  
fatum videntur fibi confirmare malum inæqualitatis duobus prin-  
cipiis introductis. oftentum tamen eft prudentibus nullam in rebus  
nofttris inæqualitatem eſſe.

Quia verò bella etiam aſſignant, & attribuunt nequitia, quo-  
modo varia fata, ipſorum opinione, multorum aliquando millium  
in vnum tempus, immò in vnam horam incidunt? an vnum fatum  
conciliat hos, & copulat inter ſe? an non eſt ridiculum exiſtimare  
hoc? ex quo fit, vt inæqualitas fati, quæ eſt grauis morbus errantium,  
locum in rebus non habeat. bella autem principium ſumunt ex a-  
uaritia; geruntur autem permiſſu Dei. malum enim horum eſt  
ipſa cauſa, id eſt, cupiditas, quæ auaritiam parit. quod quidem  
malum ab hominibus, non à Deo proficiſcitur, vt in iis, quæ prius di-  
cta ſunt, patefactum eſt.

Mors naturæ eſt, non mala. ortus, & mors naturæ ſunt à Deo  
ſancita. non quidem vt pereant, qui moriuntur, ſed vt appo-  
nantur iis, qui ſunt. non enim eſſet boni, ſolis hominibus, qui  
ſunt largiri, vt ſint, & nati ſint, ſed etiam eos, qui non ſunt,  
creando adiungere ad eos, qui ſunt. vt qui ſunt nati curriculo vitæ  
ſatis decurſo, vt a curſu requieſcant, mortem accipiant, non quæ eos  
ad pereundū ducat, ſe quæ aliter ſingulos pro dignitate transferat. &  
qui non ſunt, aditum habeant ad capiendum ortum. mors igitur lege  
naturæ ſancita, nō eſt mala. quocunq; modo accidat. nec enim inqui-  
rendum eſt de variis caſibus, propter quos accidit. vnus modus com-  
munis omnibus cognofcendus eſt, qui eſt diſceſſus animæ à corpore,  
non ſine caſu quodam, & neceſſitate: ſed expectandum eſt, quandiu  
domicilium naturale durat, & nō diſſoluitur. cum hoc tamen natura-  
li domicilio & communi ſimul in eſt quidam metus, qui quidem ne-  
ceſſario de ſuſpecto ſupplicio ſuſcipitur; non tamen ab omnibus; ſed  
ab iis, quibus mens eſt prompta, & facilis ad peccatum, ad huius enim  
ouerſionē metus ille ſuſcipitur. Qui enim degit ex virtute, is quidem

M 2

pecca-

Hoc eſt  
Dei

*De bello iniusto loquitur proficiscente ex cupiditate insatiabili, cum sunt bella gentium.*

*Uniusmodi scilicet bellum quod à transfugis, & cupidis geritur.*

*Scilicet semel mori.*

peccare desinit, & non opinatur duram esse mortem. qui verò deditus est peccatis, eadem imprudentia, qua peccat, mortem timet. necessarium tamen est, ut hanc imprudentiam hic metus consequatur, ut qui timebat id, in quo non erat timor, verè timeat, quod timere oportet, damnum, inquam, ex peccato. Quia igitur gentes peccatis redundant, quorum species vna est insatiabilem esse, ipsæ sunt sibi causa supplicij, id est, mortis, quod quidem dictum est, non esse verè supplicium, quod natura est omnibus definitum. beneficio autem afficit eos, qui in bello cadunt, & eos, qui euadunt incolumes, illis quidem finem peccandi affert, his verò exemplum timoris proponit. afficit autem beneficio, licet iusti cum multitudine vulgi à vita recedant. sicut enim iniustus mors est finis iniustitiæ, sic iustus tanquam victoribus quodammodo est initium coronarum.

Vnde hoc per providentiam sapientissimam admirabile evenit, ut quod videtur punire, beneficium fiat. non dico videri punire per ea, quæ Deus haud dubie facit, quæ acerba, & aspera videntur, sed per ea, quæ hominibus transfugis permittit, quamobrem bellum istorum non est opus Dei, sed permissio necessaria. in speciem quidem ad puniendum peccatum, verè autem ad imponendum finem peccato. ubi quamvis iustus cadat, (iustum autem bellare non deceat) maius beneficium accipit. maius enim est percipere fructum laborum virtutis, quod piis post mortem contingit, quam desinere peccare. Qui autem contra hæc disceptant, priusquam probent bellum esse ex omni parte malum, partem eius accusant. si enim bellorum originem ex nequitia per se existente, & ex principio ingenito duci dicunt, oportebat eos, ipsam mortem, & quidem solam vituperare. superuacaneum enim est causas bellorum excutere, & inquirere, cum quod necessariò accidit, in id iudicium non cadat.

Quomodo autem possunt mortem malam dicere, quæ ut Manichæus fallaciter tradit, animam à materia liberat? quare communi omnium sententia nequaquam malum est mors. quod enim necessariò omnibus accidit, non est malum. inaniter autem mortem, quæ propter bella accidit, accusant, quæ nihil amplius affert, quam quod secundum naturam constitutum est. Si quis verò ipsam causam bellorum malam esse dicat, siue ira sit, siue inimicitia, siue avaritia, non aberrabit à recto, & decenti. tribuendum tamen est hoc hominibus prauo animo affectis.

Quod autem mors mala minimè est. illa etiam ratione, & via proba-

probari potest. si enim mors non omnibus definita, & decreta esset, a cecideret, ut iustus semper laboraret in studio virtutis, nullum fructum percipiens, præter sudores; & iniustus in voluptatibus peccatorum immortalis degeret, essetq; valde absurdum. at mors iniustam voluptatem delinquenti reprimat, & cohibet; & iusto labori quietem affert. Etenim quia necessarium est, homines posse peccare, id quod est causa, ut possint ex virtute viuere: potestas autem à Deo data ad comparandam virtutem, apud maiorem partem hominum ad facilitatem peccati declinat, ut admirabilior sit virtus difficultati admista, vilis est utrisque mors iusto, & iniusto: illi quidem quietem à laboribus affert; huic verò peccatorum finem.

Si igitur mors bona est, & non solum non mala, ut ostensum est, & non soluit animam, ut Manichæus opinatur, à materia, quæ non est, sed eo modo, quem diximus; quare principium nequitie in bellis excogitabimus? & non potius solà iniustū animū, ac voluntatem accusabimus? Quod enim inde euenit, quod quidem prouidentie Dei assignabitur, iustum, non ex bello solum, sed quocumque modo mors accidat, vniuersè bonum esse naturā, in superioribus conclusum & confectum est. Quare bellum est accusandum, non mors, quæ inde accedit, quæ vtiliter constituta est, sed animus ac propositum non iustè bello vtentium, cuius non est auctor, qui res nostras procurat.

Rursus est aliud genus eorum, quæ Manichæus dementissimus accusat, terremotum dico, pestem, famem ex sterilitate, ex locustis, & aliis huiusmodi, tanquam à principio contrario hæc proficiantur. sciunt verò omnes, solere plerumq; omnes homines, paucis exceptis, in rebus lætis, & prosperis laxare mentes, & affectionibus succumbere, nullamq; virtutis, & laborum pietatis memoriam habere, atq; hoc quidem quodammodo consentaneè accedit. postquam enim satietas ciborum & potionum immoderata propter magnam vbertatem hominibus incidit, ventre pinguiore facta, crassitudo mentis & remissio cogitationis accedit. anima autem grauata subiicitur affectibus à ratione alienis. si qua verò calamitas ex iis, quas numerauimus, accidat, minus curant ventrem homines, minusq; voluptatibus inseruiunt; temperantiam autem, & pietatem pro virili confectantur, & quoad fieri potest, meliores mores induunt pressi magis, quam seculis rebus lætificati. Quæ igitur nequitie attribuemus opinionem

Manichæi? illane, quæ sensui quidem acerba sunt, effectu verò valde vtilia? Qui rursus bono iucundant, quæ quandoq; nocentissima sunt? sæpe enim, quos prosperitas ad meliorem frugem non mutauit, luctus, & calamitas conuerterunt. indigent enim homines quandoq; huiusmodi admonitionibus ad excitandam mentem, & vt à multa mollitudine liberentur.

Si enim videremus secundis rebus florentes, à magnis saltem iniuriis abstinere, & parua maleficia committere, posset aliquis cum ratione in hæc inuehi, tanquam contra rationem acciderent. fin verò abundare semper necessariis, obliuionem summam largitoris affert istis; necesse est, vt aliquando calamitatibus memoria Dei excitetur; cui oportebat sine intermissione gratias agere pro nostrarum rerum prouidentia, & procuratione. Vnde admonens Deus homines, talia dispensat, ac gubernat, non perturbationi iræ inseruiens, sed curam amplectens eos conuertendi, quos opus est conuertere. nec enim excellentissima, & perfecta erga homines charitatis esset humanas ægritudines præ lenitate extenuare, & incrementum eis permittere non inerepando. Quin potius contra, ad inhumanitatem hoc spectaret, si cum vellet non recedere ab ea lenitate, quæ speciem tantum habet, insidiosè permitteret in dissolutionem nequitia omnino homines decidere. Dico autem lenia præbere ratione, & ea, quæ acerba putantur, necessario infligere. nec enim pater cum filium delinquentem verberat, inhumanus est. contra potius si hunc ad conuersionem non traduceret, paternam prouidentiam, ac misericordiam habere non videretur. nec enim medicus cum fecat, & vrit vlcus serpens, inhumanus est. imò quanto magis rationem artis adhibet, tanto magis, vt ægrotum sanet, dolorem ex seuerioribus remediis inducit; tanquam interiturnus sit æger ab vlcibus, nisi hoc modo auxilietur ei; sanandus verò, sectione, & vsione adhibitis.

Quamobrem, vt hoc exemplum docet, homines potius quam Deus sunt, qui a spera, & acerba sibi inferunt, qui vsum, & opportunitates temporis proposito proprio per affectus suos præparant. sicut enim medicus non facit, vt opus sit vrere, & tempus vrendi, sed vlcus & medicum adducit, & vsionem vocat; sic humanæ affectiones Deum accersunt ad ea adhibenda, quæ ad curationem pertinent: qui minime patitur, quin hominibus semper



per tanquam operi suo prouida cura prospiciat. commisit enim hominibus vt haberent liberam electionem virtutis, ac probitatis. quod tamen in nobis est infirmum ad affectiones. fulcit, ac firmat per ea. quæ interdum ad admonendum, & increpandum manifesto adhibet. neque perpetuo, quæ austeriora, & acerbiora sunt, inducens; vt necessitate, & vi mæroris libertatem non excludat; neque rursus relinquens nobis appetitum segnitie omninò solutum, ne anticipationes affectionum sine curatione dimittat. vtrumque sapientia ineffabili ad vtilitatem hominum dispensat, & moderatur, qui vniuscuiusque tempus opportunum nouit.

Statim vt videris terræmotum, aut siccitatem, aut incursionem locustarum, simul sane omnes fere homines videas ad metum flexos, & ad supplicandum ei, qui potest hæc depellere. si autem ea, quæ videri solent iocunda, & placida, humanam rationem laxam, ac remissam reddunt, molesta verò & acerba excitant, & ad statum magis pium conuertunt; an non dicat aliquis illa quidem pro corporibus, hæc verò pro animis à Deo gubernari? num igitur quæ animas ad pietatem, & virtutem commouent, appellanda sunt mala? etsi enim sensui sufferentium molesta sunt, & tristia, ad salutem tamen hominum necessariò infliguntur.

Manichæus verò demens semper se secum pugnare ignorat. etenim si accretio materiæ nocet, quis non sentiat, contra quam dicit, accidere? augebitur enim hæc contra homines, qui semper in rebus lætis, & secundis sunt, & delitiis indulgent, & ventri, & voluptatibus infra ventrem deseruiunt. minuetur verò vehementer fame, peste, morte, quæ non permittunt proficere eam ad iniustitiam accretionis. Quamobrem consentaneum erit, vt hæc potius vocaret bona, conuenienter suo fundamento, & principio, quàm mala. sic enim meliorem rationem videretur affectus, quàm si rursus ratione referens iocunda ad alia contraria principia, rursus mala vocasset. vtraque enim sunt bona ratione à Deo data. At ille gaudens peccato ad constituendam & consilandam nequitiam, per se, vt opinatur, consistentem, dolorem capit ex monitionibus Dei efficacibus, quibus meliores facti homines, & sape-

nume-

numero aliqui perfecte ad virtutem traducti, dogma eius falsum esse declarant.

Ad hæc omnia, si non accideret aliquando, ut quæ Deus communiter omnibus hominibus donat, & largitur, prohiberentur, largitionem eorum, ac suppeditationem ad vim alicuius naturæ immutabilis homines retulissent, neq; cum acciperent, gratias largienti egissent, neq; habentes, vnquam petissent.

Priuantur igitur interdum ad breue tempus, ut petant, & rursus accipiunt, ut gratias agant ei, qui dat; agnoscentes ipsum esse, qui præbet, & non alia quæpiam natura suppeditans præter Deum, expers iudicij, & immutabilis. vult autem Deus, ut ei gratias habeant homines, quo digniores fiant, ut dona eius accipiant, non ut ipse fructum aliquem sibi metat, vult autem eos bona petere, ut accipientes ea, cum sentiant, qui suppeditat, qui lætatur dan dis suis. sed magis lætatur, cum dat dignis. tanquam benignitas erga homines quodammodo inhonorata sit, nisi gratis & beneuolis hominibus exhibeatur, quæ valde rationi consentanea tunc apparet, cum ij, qui bona accipiunt, omnibus bonis largientem præponunt.

*Julianum  
Apostatam  
dicit.*

Et si ciuitates concidant exorta impietate, sicut nuper contigit, cum ille impiissimus dominaretur, & errorem idololatriæ recoleret, ac renouaret, peccatum interimitur, & error in Deum minuitur. nihil vero amplius accidit, quam mors secundum naturam, & quod sit ad diuinam conuersionem, nequaquam malum est, sed contra potius bonum est, tanquam speciem medicinæ habens. malum verò tantum est, vtilem Dei gubernationem improbare. Qui enim procreationem liberorum reprehendit tanquam augmentem materiam, cum mortem vniuersam improbet, an humanam mentem habere videtur? valde sibi ipsi repugnantia cogitatione fingens? At neque procreatio mala est, quæ facit, ut genus mortale semper viuat, & adiungit ad fabricam mundi eos, qui procreantur. neq; mors quamuis vniuerse interatur, mala est; nec à Deo constituta, ut homines iacturam, & damnum faciant, sed ad vtilitatem summam iustis & iniustis decreta est.

*Δάνατον  
ἄρπυιον.  
Sic enim  
mala est  
procrea-  
tio, malum  
erat Mani-  
chaÿ natū  
esse quo ni-  
hil sibi re-  
pugnantius  
dicere  
poterat;  
ipse n. pu-*

Quod autem vnicuiq; priuatim accidit naturaliter, hoc si multis confertà adueniat, naturaliter quidem contingit, nihilq; amplius est, quam quod singulis contingit, sed tanto maiorem curam gubernantis, quam illud, quod priuatim accidit, significat, quanto in illo priuato minus iudicij est iudicij diuini in delinquentes. hoc autem general-

generalius propter speciem, quàm habet diuinæ iræ, morientes quidem beneficio afficit, sicut ante explicatum est, viuentes verò conuertit. Siquis verò obiiciat, quamuis multa huiusmodi sæpenuerò fiant, nihilominus tamen humanam vitam eisdem maleficiis implicatam esse, similiter hic quidem iudicio meo facit, ut si quis pisces in laeu, aut mari videns, existimet artem piscandi otiosam, & inutilem esse, quia pisces captos non videt, natantes in aquis videt. aut perinde est, ut si quis multos ægrotos cernens, curationem medici nihil esse arbitretur.

*sabat se  
verum  
dogmata  
dere. Do-  
cere autē  
veritatem  
ut puta-  
bat, quis  
dicat ma-  
lum esse?*

Cum enim multi proficiant ad pietatem, & virtutem illis pertimescendis, quæ Deus aliquando sua gubernatione operatur; qui criminandi studio tenetur quòd profectum est, negat, & quòd multi in peccato perseverantes, contendunt, exprobrat.

Atqui neq; nos dicimus habere talia vim cogendi multos, sed dehortandi à peccato gratos, & beneuolos. quæ ad breue tempus inuecta, celeriter quiescunt, ne magis vim afferant, quàm suasionem mutant. rursum verò, quæ erant in consuetudine, exercentur, in quibus animus, & voluntas eorum, qui mutati sunt, spectatur, & exploratur, ut si sola memoria exemplorum infirmitatem suam fulciant, & stabiliant, qui sunt grati, & æqui. Immo verò potius dicendum est, si cum talia contingant, pauci quidam, & valde rari sunt, qui vitam mutant, an non multò plus ad nequitiam cogitatio hominum profecisset, si per hæc, quæ accidunt, non fieret à peccatis auocatio?

Quòd si nullus hinc vilitatem caperet, quòd quidem fatuum est dicere, præstaret reprehendere homines, qui nec hoc quidem modo inuati volunt, quàm culpam negligentiam in Deum transferre, quasi non amplius studio conuertendi vrentem. qua ratione vrentem est in eos, qui nullum sensum talium capiunt. est autem comperitum iis, qui sunt grati & æqui, non solum aliquos ad perfectam mutationem in melius capiendam metum impellere, sed aliis etiam appetitum, & audaciam ad iniustitiam occulte imminuere.

Veniamus demceps ad rationem creationis, quam iste planus calumniatur. ac primum de tenebris, & nocte inquiramus, quòd potissimum iste mente cæcatus vituperat. tenebras enim quæ in nocte apparent, illarum tenebrarum, quas Manichæus cogitat esse quasi per se fieri, intelligit esse indicium, eius scilicet, quòd non est; nihil penitus videns, nec intelligens, sed ad instar cæci hominis in res ipsas offen-

N

dens,

*ICOMISSU  
m. 14  
SIV  
27*

dens, & incurrens, vocatq; tenebras, & veluti horret, vt non opus habeat disputatione, vt falsitas doctrinae eius argumentatione concludatur, vt qui nomen rei e se ipsa vituperata vlturpet. Dicendum ergo est, vocari quidem has tenebras, non tamē secundum substantiam existerē, adueniunt enim, & recedunt quotidie, suntq; consequentes in modum vmbrae. non sunt enim creatae per se, vt substantia, nequam mundo autem creato, est vmbra. nascitur enim homo, qui per se est, sequitur autem eum vmbra secundum molem corporis, & neutiquam cum eo ipso fabricata est, sed aduenit vt situm, & locatum est corpus, & vt est luminis circuitus, & conuersio. siquidem nox, & tenebrae, cum sit mundus corporeus, solummodo sunt consequentes, non autem sunt fabricatae in modum substantiae creatae.

Cum enim sol diurnum cursum absoluit, & vertitur ad recessus proprios, necesse est ea, quae sunt intra mundum, omnia inumbrari, cum sit extra, quod illuminat, sic Deo volente, causas. Cur ita voluerit paulo post, pro viribus dicemus. Illud statim dicendum est, quae habent molem corpoream interdiu in contrariam partem luminis positi vmbrae iacere. & transferunt simul cum lumine in contrarium vmbrae. & vbi est vsq; ad meridiem sol, ibi est post meridiem vmbra. vbi autem vmbra post meridiem, sol est post hunc. vmbra verò diurna vmbra est, & non omnino tenebrae. quia quod conuenit cum sit vndiq; apertum, locis etiam, quae vmbrae habet, praebet luminis participationem. itaq; si domum quampiam ex omni parte bene claudas, & neq; vel angustus aditus luminis relinquatur, noctem efficiet etiam in meridie. hoc autem fit in nocte sole loca sua ambiente, & circum eunte. Vnde nox est priuatio luminis, potest autē hoc, quod fit, clarius percipi, si quis considerat, alicubi esse & manere noctu solem, interdiu verò nusquam esse tenebras, sed penitus dissolui, & tolli. Quare substantia luminis facta est, non autem tenebrarum.

Considerandum verò est, quam sit necessaria nox. primum, est communis requies omnibus. somnus enim diurnus magis necessitatem noctis declarat, cuius quidem tempus tam longum non sufficit hominibus, vt a sensibus requiescant. & diurnum somnum capere non aequaliter omnibus licet: in nocte verò communis est omnibus & aequalis mensura ad requiescendum, nullā inaequalitatem habens ad auaritias vite, & plus habendi cupiditates. quod quidem non minus equalitatem creatoris testatur, tanquam vni generi hominum, aequaliter prospicientis. Deinde, si semper esset dies, & spatio Dei non succederet,

deret nox, non possemus metiri tempus non diuisum in partes. Diuisio autem diurni temporis facit, vt liceat tempus per has particulas numerare, nisi autem tempus discerneretur, in multis rebus non posset hominibus ratio vitæ iniri, & constare; & quod maius est, non esset voluptas luminis fruendi, si non essent tenebræ nocturnæ in proximo eo modo, quem diximus, lumen enim corporeum continuum neq; quod lumen esset, cognosceretur. lumen enim dicitur, & est, vt a tenebris distinguatur, non igitur esset, vt esse apparet admiratione dignum à Deo creatum, nisi comparatio eius, quod videntur contrarium, illud ostenderet.

Quamobrem oportet gratias agere Deo sapientissimo creatori, cum propter alia multa, tum maxime quia fecit, vt lumen sentiremus, & cofrueremur, quod quidem esse nõ aliter discernere potuissemus.

Est autem obstupenda ineffabilis Dei sapientia, quod cum tot, & adhuc plures necessariæ hominibus & oportuna vtilitates ex tenebris existant, tamen quia erat nomen, & res tenebrarum, non fecit eas secundum substantiam, sed fecit, vt venirent, & recederent; vt quasi essent, ea, quæ diximus, & adhuc plura commoda præberent: & quasi non essent, minime mundi fabricator accusaretur, extra culpam igitur & querelâ est nox, quin potius, vsu est omnibus modis mirabilis.

Sed aiunt, latronem noctu latrocinari, sed quid hoc contra noctem? si enim non contingeret de die latrocinari eos, qui latrocinari volunt, oporteret tempus nocturnum accusare. Sed quia latro opportunitatem furti expectat, siue die, siue nocte incidat, animus maleficium facientis, non tempus est crimini dandum, verum tamē si maleficus nocti pareret, dormiret sane, hoc enim solum nox iubet.

Præterea considerandum est, similiter inter se contraria videri lumen, & tenebras, veritatemq; & mendacium, quod enim est lumen corpori, hoc est veritas animæ; & quod tenebræ oculis, hoc ignorantia, & mendacium menti. homo enim nihil aliud est quam anima, & corpus. vtrique parti suppeditat Deus, corpori lumen: per corpus. n. lumine corporeo fruitur; per animam verò veritate spiritali.

Sicut autem non sunt tenebræ secundum substantiam, solum autem eas aduenire permillum est, sicut ostensum est, sic etiam mendacium non manet ab aliqua substantia per se existente, quâ ille principiu ingentiu vocat, neq; est substantia quæ piâ per se existens, ac vitæ pens. Sed sola cogitatione esse, concessu est, & aduenire, atq; recedere simili-

similiter vt tenebras. idq; valde vtiliter, & necessario. nisi enim cogitatio mendacij esse posset permissu Dei, veritatis optio non esset in hominib<sup>9</sup>. Ipectata, & probata, frustra nominaretur, nisi permissum esset, esse mendacium cogitatione. nemo enim esset amicus veritatis, nisi potestatem haberet cogitandi mendacium. non dico esse mendacium adiunctum veritati, sed quod optio veritatis non videretur esse, nisi potestas mentiēdi adiaceret. quōd quidem veracibus pdest, non veritati. oportet enim cum, qui verax est, vt penes eū sit mentiri, à quo cū abstinēt, verax est. Possē ergō mentiri affert hominib<sup>9</sup>, vt veritatem mendacio anteponant. Sicut positæ tenebræ, sensum luminis mouent, & excitant; tamen sicut lumen in tenebris lucet (dissoluit enim eas adueniens, quippe cum non sint secundum substantiam) sic veritas vincens mendacium, omninō conuincit, quōd non est, cogitatione esse propter potestatem cogitationis, id est, quia cogitari potest. quomodo enim potest quis veritatem eligere, si suscipere mendacium non est penes ipsum?

Sensu. n.  
percipi-  
mus lumē  
abesse.

Si igitur ostendi posset esse tenebras secundum substantiam, & non aduenire, & recedere, sicut dictum est, ponere etiam posset falsa, & mendosa substantia. Sin verō, nec ille, nec alius ostendere potest non dissolui has tenebras, quæ ad instar vmbre fiunt, vt lumen quidem noctu existat, tenebræ verō interdiu non sint; liquet neq; mendacium, quod cum tenebris similitudinē habet, per se existere instar substantiæ, sed necessario permitti, vt cogitatione tantum sit, idq; ad electionem veritatis.

Quia verō lumen secundum substantiam per se existit, plane existimare licet esse veritatem per se secundum substantiam, vt similitudinis ac proportionis ratio limitatē, & perfecte seruetur; eequid prohibet, quin Deum ipsam per se veritatem esse existimemus, & reputemus? Si enim Deus est lumen, lumen autem intelligibile, non aspectabile, lumen scilicet sicut veritas, lumen enim spirituale, nihil aliud est, quàm lumen veritatis, Deus tamen cum lumen, & ipsa per se veritas sit, à mendacio abstinēt, non quia deficit ei potestas, sed quia non vult vnquam mentiri. Si autem non potest, non enim absurdum est, sic loqui, ideo non potest, quia nunquam vult.

ad vna  
p. 102.

Quibus enim velle & non velle diuersè accidit, recte & rationi conuenienter his attribuitur, posse; Deo autem quoniam nunquam accidit velle, confitendum est non posse eum mentiri, sic tamen, quia scilicet non potest velle; non autem quia non potest ad instar eius, cui

causæ infirmitas, & deficit potestas. creaturam enim impediri, & cōstringi natura, lumen, inquam, corporeum non habere penes se, ut sit lumen, sed penes auctorem luminis esse, non est alienum à ratione sic dicere: auctorem verò subiectum esse necessitati nature, valde absurdum est cogitare, ut non videatur penes ipsum esse verum dicere, sed à natura per vim cogi. cum alioqui ipsum solum sit. quod quidem est. iis tamen, quæ creavit, imposuit, ut natura & necessitate essent, quod sunt. Deo tamē nemo imposuit, ut necessitate nature esset veritas. Supra naturam igitur est, qui naturas fabricatus est, ipse autem liber est à necessitate nature, sic enim vere bonum esse confitebimur.

Igitur ex iis, quæ dicta sunt, patet, per se mendacium non esse; mendacem verò esse eum, qui mentitur. à mentiente enim vocatur mendacium; non autem mentiens vocatur ab eo, quod non est mendacium enim non potest esse antequam cogitetur, similiter tenebræ non sunt creatæ, sed subierunt, factæ umbra vniuersi, præterquam quod tenebræ nō solum subire permittæ sunt, sed valde etiam vtiliter. Cogitatio verò mendacij electionem veritatis apud homines declarat. cum verò anteponitur veritati mendacium, nocentissimum est, idque valde consentaneum. mendacium enim ab hominibus excogitatum est, tenebræ verò corporeæ à Deo positæ sunt. Idcirco oportet illud quidem fugere; hoc verò non vituperare, quod necessitudo à creatore positum est.

Vituperat autem non has solum iste inauditæ contra Deum blasphemie inuentor; sed etiam animantes, quæ naturam suam sortitæ sunt à creatore, more inimici, qui omnia accusans, in creaturas Dei inuehitur. Sed blasphemiam amentem, & vecordem istius deceptoris in huiusmodi animantibus sermo noster redarguet.

Omnes enim feras, ac bestias, quadrupedes, ac serpentes cum vituperat, perinde mihi facere videtur, ut si quis seruus deditur peccatis, & improbißimus, alia quidē Domini, & auctoris sui approbet, odio autem habeat, & criminetur flagellum solum, quod apparet, qui ipso quidem odio ostendit, quàm necessarium sit flagellum appositum. homines enim faciles, & parati ad capiendam obliuionem contra Deum, si nihil haberent in fabrica mundi, quod dignum esse metu appareret, amplius quidem procederent animo, & voluntate contra Deum, accusati verò essent non rectè, utpote nulla re earum, quæ apparent excitati. etsi enim natura inest nobis libertas ad eligendum quod melius est, tamen propter, ignauiam facile in obliuionem

nem incidimus. multa igitur sunt, quæ necessario cogitationem nostram ad Deum timore excitant. sicut rursus plurima, quæ hanc cogitationem per benignitatem, & bonis fruendi copiam & facultatem ad agendas gratias creatori mouent. vtrisque enim erudimur, & instruimur iis, quibus tanquam bonis fruimur; & iis, quibus tanquam horribilibus & pertimescendis conuertimur.

τ. 2. 2. 1.

Quod igitur sequum est natura, horribile est, sed non malum. malitia enim & nequitia affectio cogitationis sunt. appetitus autem naturalis sic factus, ab omni culpa, & crimine liberatus est, Deus autem misericordia erga homines motus, fecit, ut metu, & horrore bestiarum ratione carentium, probitatem, quæ ad partem rationis competere pertinet, consecutemur. & nihil in huiusmodi bestiis, ac feris malum, quod enim non nouit, quod est, quomodo malum est? ut iam non minus sic redarguatur, quod Manichæus tradit de nequitia, quæ finxit, & ingenitum principium vocat. non enim tribuit ei cogitationem, & cognitionem nequitia, ne si reperiat habere sensum boni, hæc ratione appareat, non esse nequitiam. cognitio enim boni testimonium est nature non male. Manichæus verò, cum nequitiam statuit, ratione carere, & cognitionem priuatam esse, eam etiam priuat cognitione eius, quod ipsa est.

Si enim sentiat, & cognoscat, quod mala est, sentiet omnino contrarium euadens bona. Siquidem malum ratione deprehenditur sensu & comparatione boni. ut si manifestum sit malum, contrarium quoque sit manifestum. omne enim contrarium probatio, & index est contrarij, cognitione tamen & iudicio. Sine cognitione enim neutrum est alterius iudicatio. Si igitur nequitia se ipsam ignorat, & cogitatione non suscipit malum, non erit nequitia, frustra, & vanè accusabitur. nequitia enim libera à ratione, similis est phrenetico, id est, furioso in febre, aut in alio casu, qui, quod facit, nescit, cui omnes ignoscere consueuimus. ac magis quidem ad luctum flectimur, à nequitia cum liberantes; cum sine causa percutit, aut etiam occidit, si gladium reperiat. Sic omnibus hoc manifestum patet: & hoc iudicium commune est ac nature consecrarium, non nominare malum, si ignorat, quod facit. Si igitur nequitia id, quod cognoscat, bonum necessarium vocabitur, sequitur nequitia id quod seipsum & quid sit, ignorat, nequitiam esse, quorum alterum nequitia ipse admittit; alterum verò per errorem, & contra communem existimationem statuit. sic nequitia fera vlla mala est, cum sit rationis experta, homo verò male moratus, malum est, qui ratione utens capessit, quæ non ignorat. accessio enim rationis ad naturam nequitia

crimen



erimen inducit. præparat enim ratio cognitionem actionis susceptæ quia priuatio cognitionis priuatio est culpa, & criminis. Sic homo utrumq; cognoscens virtutem scilicet & vitium, ab eo, quod eligit, nominatur, antecedit enim electioni cognitio, prius autē q̄ cognoscat, dum puer paruus est, à neutro extremo nominatur, id est, neq; bonus, neq; malus dicitur. Quamobrem ex omni parte liquet, virtutem & vitium rationi, & post rationem electioni attribui, bestia igitur, quæ non sunt rationis participes, non sunt nequam, nec à nequitia productæ, quia si illa ita se habeat, non est nequitia.

Præterea videre licet sæpenumero, quod est in serpentibus nocentissimum: venenum dico à medicis absolutissimis ad medicinam adhiberi, & mista cum iis, quæ possunt auxiliari, grauissimos morbos interdum depellere: & ex ipsis carnibus, aliis generibus, & herbis admixtis optimum remedium corporibus confici. Similiter in aliis bestiis, quædam enim partes, & membra, & sanguis, sola, ac per se ægro- tantibus conducunt. Quomodo igitur sunt ex nequitia, quæ ex parte sunt vitia, & iuuant? Hæc igitur omnia ducenda sunt vitia propter homines tantum; non autem appellanda sunt bona, neq; mala, quæ hominibus tantum necessario metum iniiciunt, vt ad melius institutum se conuertant, & otium bestiarum, atq; vocatio earum à vocando, apud homines otium, & inertiam prohibet. sunt enim posita ipsa instar flagelli apparentis in domo, vt metuant famuli, ac ministri, si quis eorum se dedat otio, aut si quis domi delinquat. Si verò contingit videre has, quas diximus, bestias nihil nocere improbis, admiremur in Domino tolerantiam malorum. nihilominus tamen considerare oportet flagellum propositum, contra verò si boni incidunt in has feras, aduertendum est, quod Dominus bono delinquenti prospicit, & cauet, non autem ei qui valde desperatus est, ille enim peccat, quæ curari possunt; hic verò reseruatur ad supplicium, quod euadi non potest. huiusmodi enim exempla permulta in diuinis scripturis videre ac legere licet. magna itaque cura est Deo de homine, quamobrem omnibus modis proposuit, quæ eum ad timorem mouerent, & excitarent, vt neque somnus illi à creberrima molestia liber esset, quin hic etiam à quibusdam feris, & serpentibus impeditus, cogitationem instar stimuli pungeret, ac multa quidem sunt, quæ humanam infirmitatē iuuant, vt ergo homo recordetur Dei, eiusq; memoriam habeat, mirifice per ea, quæ corpore patitur, à morbis animæ liberatur. & per ea, quæ pati posset, quamuis nō patitur, ad timorem

con-

ἀπομύ-  
χεω.

φειδοί.

IC  
m. 11  
SIV  
27

conuertitur. Incidit quoq; homo neceſſario in morbos corporis, vt peccatum grauiſſimum morbum & qui ſolus vere morbus eſt, effugiat. cui enim non dolet, intemperans eſt; & qui peccat impune, funditus perit.

Si enim tam multis, ac tantis ad timendum propoſitis, ex magna parte homines, ex vacuitate timoris ægrotant, quomodo conuictum, & ſocietatem inter ſe habere potuiſſent, ſi nullus eis metus ante oculos impenderet? mollit igitur duriorẽ mentem morbus. & ſæpenumero naufragium mercatores periuriis aſuetos mutauit, & ruruſ inopia opibus elatum depreſſit. orbitas filiorum correxit auaritię propter liberos deditum.

Quòd ſi non correxit, exemplum ſaltem ſentientibus præbuit, ac liberi quidem nullam proſuſ iacturam aut damnum fecerunt, quin immò beneficium acceperunt ab inſtitutione malorum parentum liberati. auaritia autem reſellit.

Ruruſ alij cum parentes alioqui probos habeant, moriuntur, aut quia futuri erant indigni genitoribus ſuis, ne bonorum mala columna extent. aut ſi probi quidem ſunt, euafuri tamen praua mutatione morum, ſi creſcerent; beneficio afficiuntur, non permanentes in malum ſuum, omnia Deo prouidentia, & præcognitione ſua gubernante. Admodum itaq; neceſſarij ſunt metus, & varię, atq; infinite ſunt cauſę eorum, quę Deus diſpenſat, ac prouidet; & ſæpe ſæpius eadem propter varias cauſas eueniunt. ille ægrotat propter peccata, vt conuertatur: alius propter virtutem, vt magis adhuc exerceatur. in teſtimonium item alius propter nimium peccatum, vt arguatur. & eiusdem cauſa varię etiam cauſa. ille amittit opes malè eis uſus, Deo ſic illi proſpicente, ac præcauente. alius vt ad virtutem per inopiam ſe exerceat alius ſponte ſua graue pondus diuitiarum abiicit, ne ſint ei impedimento ad virtutem. neque facile quiſpiam perſpicere poteſt abſolutam rationem earum rerum, quę Deus gubernat, vt hominibus conſulat. pauca uerò quę comprehenſa ſunt fidem faciunt eorum, quę non ſunt. Quædam enim ipſe declarat hominibus, vt quodammodo ex iis, quę ſentiunt, aſcendere poſſint ad eum. alia uerò plurima, obſcuritate contegit, ne contra ſe fiat magiſter non credendi. nec enim decebat omnium, quę ſigillatim ſunt, demonſtrationes à Deo poſcere: ſiquidem huiusmodi cognitio difficilior, & peior eſt quàm ignorantia. hac enim ratione ſuadet mentem, quòd addiſcat. alioqui nihil eorum, quę Deus gubernat, ad iuſtam gubernationem

bernationem referret. melior autem est in Deum fides, & charitas, & quamuis mens non perspiciat, quæ sunt, confidat tamen rectè gubernanti. siquidem in omnibus rebus adduci argumentis, & probationibus, potius esset perfidia, quàm fides.

Immo pleriq; in veros, & germanos amicos non inquirunt curiose, legitimam, ac germanam amicitiam hoc ipso reddentes, quòd cum amicis sine curiositate versantur. tanquam facilè accusationem perfidiz incurrentes, si nunquam post periculum factum ipsis confideant. sic etiam Deus cum maximè velit, ut simus erga ipsum benè animati, non omnem providentiæ suæ vim & efficientiam declarat. vult enim, ut ei credamus. neq; rursus omnem nos celet, sed quibusdam exemplis quodammodo mentem nostram sustentat.

Qui igitur animo grato, & pio sunt, simul sentiunt, & memoriam semper conseruant instar terræ bonæ fatæ, florescentes in studio virtutum.

Qui verò mentem habent magna gravitate consuetudinis peccatorum obrutam & oppletam, aut anticipatione aliarum contra Deum fictarum cogitationum, quales Manichæus deprompsit, & quales apud alios reperiuntur. pullatur quidem eorum mens, sed repellunt sensum exemplorum, & vtilitatem.

Atq; hæc quidem adiecta sint generatim de providentiâ Dei vniuersorum. erat autem nobis quæstio de omnibus feris, demonstratumq; est rationibus ex natura ductis neq; malas esse, nec ex villo malo principio profectas, viles verò esse hominibus ad incutiendum metum. Si enim, quæ in mundo facta sunt, suauia essent, & hilaritatis plena, nihilq; omnino esset, quod vel sensim perterrefaceret, graue, & durum visum esset hominibus instrui ad non timendum.

Habent autem hæc etiam varietatis ornatum, & decorem cum terrore mistum. præter hæc etiam continuo sunt alia animalia, quæ nec idonea sunt ad alendum homines, neq; possunt præbere eis vestitum; neq; rursus ferina sunt, & sæua, sed solum varietatem mundi supplent. manifestumq; est omnia animalia mansucta, & non mansucta, & quæ sunt interiecta, vnius creatione, & voluntate permanere, nec à seipsis vicissim interire, variis modis excellenter munita. alia enim prædita sunt iniuncto robore, alia vero infirmiora, velocitate naturali se tuentur; alia aliter armata sunt. & quæ videntur armis carere, alia quædam forma munitionis tuta sunt. aut enim naturam volucrum sortita sunt, aut sub terra latent. sic fabricator mundi orna-

tum confecit varietate. & redigens ad æqualitatem, quæ sunt diuersa, omnibus distribuit tuitionem sui, vt nullum genus horum imbecillitate naturæ proditum, pereat. ad commutationes temporum induuntur tegumentis suapte natura ortis, & pilis densis, ac duris coriis, quæ hieme, & in æstu ad propulsandum incommodum idonea sunt, & quæ faciunt, vt facilius recubent, & requiescant, vt videatur suapte vi, & natura supposita eis stragula. ac partim quidem parum fecunda sunt, aut tanquam difficilia ad capiendum, aut tanquam diuturnæ vitæ. alia verò, quæ facile capiuntur, & ad vtendum quotidie tradita sunt, fecunditate sua durant, & seruantur.

Alimenta verò aliud animal alia habet, atque omnibus abunde apposita sunt, ita vt nulla herba ex iis etiam, quæ mortiferæ videntur esse, natura sit mortifera. quod enim alteri generi nocet, alteri prodest. Salutare autem & pestiferum simul natura quomodo hoc esse potest? differentia autem his vtentium varietatem, quæ in his inest, requirit, vt in animantibus ratione carentibus vestigium quoddam appareat rationis, legis scilicet eius, qui ea creauit, nihil enim horum ignorat, quod sibi cognatum est. neque propter naturam ferinam, & rationis expertem, quod pestiferum sibi est tanquam aptum ad nutriendum adhibet. Quin potius vnumquodque quod sibi commodum est, appetit, & prosequitur. Si enim ois herba, & radix omnibus esset accommodata, & congruens, minus patefieret, quod lex creatoris etiam in animantibus ratione carentibus viget, & dominatur.

At verò esse hoc quibusdam nocens, aliis autem id ipsum salutare, clarius sapientiam Dei in omnibus prædicat. qua factum est, vt esset in animantibus ratione carentibus vis quædam naturæ, qua ea, quæ apposita sunt, discernere. Quæ si naturaliter in singulis non in esset, merito, ac rectè ea, quæ nocent, accusarentur tanquam à nequitia edita, & orta.

Sin vero in animalibus naturalis quædam vis discernendi, iudicium præoccupauit, & vnumquodque sibi conueniens eligit, omnia videlicet herba, & radix utilis est, etsi non omnibus. varia autem sunt variè apposita.

Hocigitur modo Manichæi, qui omnia criminari studuit, refellenda, & euertenda est accusatio herbarum pestilentium. Sic enim & contra ferrum, & contra ignem mentitur, faciens in his contra quam vult. Qui enim acculat materiam, quam esse inaniter fingit, curius

rursus apparet tanquam defensor, & patronus eius eis succensens tanquam malis, qui materiam consumunt. ferrum autem, & ignis feminata sunt in terra ab ipso mundi auctore, inuenta verò sunt ratione ab homine, id Deo concedente. Sine his autem penitus manca esset vita hominum.

Etenim si iudicavit Manichæus nocentia esse, quia consumunt & interimunt corpora ferro & igni obiecta, quanto magis apparebunt vtilia & salutaria propter usum suum ad omnia necessarium. Si verò abditæ sunt, & latentia in fabrica mundi, hæc autem à principio ratio hominis adinuenit, cui assignabimus rationem hominis hominum iuuentricem, an nequitiam, & materię quæ cognitionem non habet, ut Manichæus est auctor, an Deo? At perspicuum est sapientiam rationis & bonum esse, & munus boni. In quem sua parte insiluit inquam ferrum? quod vsui rationis tantum subiectum est, & omni arti seruit, ac ministrat.

At occidit homo ferro, inquit Manichæus. & ad instrumentum accedit malum artificium vtentis. Quasi non esset visum ferrum malum, nisi homo hoc modo ferro vteretur. Si enim vellet scarius occidere, & ab ictu aberraret, an non liquet, animo quidem rem perpetrasse, ferrum verò extra culpam esse? sic quamuis ferro homicidium fiat, non est in crimine, & culpa ferrum, sed qui non secundum rationem vsus est ferro ad secundum. si autem ligno percutiat, aut cuspe feriat, aut propriis manibus strangulet, rursus hæc Manichæus appellabit mala. & omnia apud eum crimini potius dabuntur, quam cogitatio voluntaria.

Omnia enim, quæ dicta sunt cum ferro, neq; bona, neq; mala sunt, trahunt enim, quo qui vtit, velit, quæ verò sunt posita instar instrumentorum, & deferunt vtenti, quæ si homini non essent tradita, nec artificia sic perageret, nec utilitates ex artificijs copiosas haberet; & quod plus est, minime ad virtutem exercitatio adhiberetur. non habendo enim apposita instrumenta, quæ ad actionem virtutis, vel vitij accommodari possent, non haberet potestatem virtutem vitio præponendi, ut maximam iacturam fecisse videretur; & à maxima laude excidisse, si propterea videretur non admittere turpe factum, quia non habuit copiam eorum, quibus perficeret quod. n. omnino non agit, otiosum est, & inglorium.

Sed vide, inquiet, quod ex instrumentis provenit, magis necessarium accedit, mors enim non est inuenta ab interfectore, sed à

creatore sancita est. & si quis studeat ferrū, & lignum, & lapidem, ignem, & aquam, & alia eiusmodi tamquam malefica accusare, relicto principio instrumentorum, reprehendat, & accuset id, quod ex instrumentis prouenit, mortem dico, probetque non esse hanc à Deo decretam, & constitutam secundum rationem. atq; ita postremo appellet mala, quæ male adiuuant mortem. Sed si nemo potest probare mortem esse malam, sed contra potius, ut copiose probatum est, vtilem esse, an non superuacaneum est accusare tamquam natura sint mala ea, ex quibus mors accidit? quæ neq; sciunt, ad quæ sint adhibenda ab altero, cui tradita sunt, & ab omni culpa, & crimine sunt libera? cum oporteret hominem solum accusare, qui ea instrumenta tunc mouet, cum non licet, neq; conuenit.

Sic enim verè conclusum, & confectum est, nihil in fabrica mundi esse malum. solum rationem humanam, quæ necessario potestatem accipit, aliquando quidem peccare; peccantem verò ob id solum reprehendi, quia quod deterius erat, præposuit meliori: neq; contra naturam posse aliquid nouare, nec esse penes eum, ut quæ supra sunt, sint infra, sed solum facere ea, quæ secundum naturam sunt, quamuis accusetur facere præter rationem.

Sicut cædes mortem secundum naturam operatur nihil amplius faciens, quam quod est secundum naturam, præterquam quod coarguit eum qui fecit. rursus adulterium, & alia eiusmodi ob eam tantum causam accusantur, quia sunt auersa à ratione. Contra naturam verò à creatore constitutam nihil penitus potest aliquid noui moliri, quippe cum lex eius, qui naturam fabricatus est, sit, & maneat immutabilis. in ipsis verò, quæ naturalia sunt, peccata versantur nullam nouitatem introducentia, solum arguunt, & conuincunt facientem sponte peccare, ut qui non possit aliter ex virtute degere, nisi penes eum sit contrarium agere, quod quidem volens, & libens declinat, ut virtutem comparet. est igitur summæ stultitiæ, & insipientiæ ferrum, aut lignum aut alia eiusmodi in crimen vocare, & non eum, qui his præter rationem vitur.

Si quis verò quærat, quare occiditur homo? rursus dicendum erit, quod sæpius dictum est, quare igitur homo deniq; moritur? quod quidem si malum esse ostendatur, recte culpa in eum, qui constituit, redundat. Sin verò non est mala, permissio tantum eius, qui res nostras procurat, inquirenda est, quare homo in hoc genus mortis incidit, quæ non est secundum naturam mala. & continuo re-

penitur, ex multis, ac variis causis accidere, quas enumerare curiosum fuerit.

Idem enim iusto, & iniusto diversis causis accidit. non ut iustus sit damno; nec iniustus, ut sit supplicio, & vindictæ. (non enim quod secundum naturam est, supplicium fuerit) sed ut sit exemplo alius, vel ad prohibenda mala insanabilis. multa quæ alie cause sunt, propter quas Deus hominem occidi permittit. constat tamen nihil amplius, quam quod in natura decretum, & constitutum est, accidere. licet enim diversus casus accidat febris, satietatis immodicæ, aut contra exinanitionis ex fame, frigoris, æstus, aggeris, lapidationis, gladij, ignis, aquæ. at in his omnibus vnum est, quod inde provenit. eequid hoc? id scilicet, quod à creatore, recte, & utiliter in vniuerso genere constitutum est.

Sicigitur, ac multis etiam aliis modis demonstrari potest nihil esse in fabrica mundi malum; neque quicquam in gubernatione diuina, quod reprehendi possit, sed omnia in explicabili sapientia facta esse, & providentia ineffabili gubernari, ut non sit facile eorum, quæ à Deo facta sunt, tum quæ suauius, tum quæ tristia & molesta esse videantur, rationem perspicere, ac comprehendere. non enim ut videatur, oportebat patere omnibus diuinæ sapientiæ indicia, & mentem Dei, quæ nec explicari, neque comprehendere potest, omnino nudam, & apertam esse hominibus, quandoquidem plurima etiam hominis regis consilia interdum exaltantur, ut quod agitur, qua ratione fiat, ignoretur.

Quare non mirum est, si totius gubernationis Dei rationem non percipiunt. quos decet sine curiositate subiectos esse, & silere, & minime contra diuinam gubernationem dicere. Sæpe enim pudeat nos in architectum peritum aut edificatorem nauis expertum, aut in fabrum spectatum curiose inquirere, cum quisque eorum, quod artis suæ est, facit; quin potius experimento confisi, expectamus, ut opus videamus. contingit etiam aliquando, ut lapsum eorum non lentiamus.

Quid dicemus de sapientia Dei, qui omnem mentem, & intelligentiam Superat, quam quidem oportebat siue eam intelligentes, siue non intelligentes obstupescere, & honorare. Si quis verò qui rationem multorum, quæ à Deo sunt, non assequitur, decidat in absurdas de Deo opiniones, miserimus, & valde stultus, & insipiens est, hic ipsa cecitate mentis suæ tanquam duce utens, ut Manichæus, qui

insaniam sceleratissimam contra eos, qui ei crediderunt, excogitavit. qui quia non intellexit, quomodo nostra Deus gubernaret, secundum principium ingenitum nequitiae finxit. ut ab iis, quae sunt supra delaberetur; & ea, quae infra, ut intelligeret non ei concederetur, eam Deum uniuersorum fingens, quae patientiam eius altissimam praedicerent. diuisit enim ea, quae Dei sunt; & eorum plurima ad nequitiam, quae nihil est, retulit. omnibus modis in Deum blasphemus, qui ait, opera bona Dei composita esse ex nequitia.

Quid igitur diceret de principiis corporum, quae quatuor elementa appellari consueuerunt, quae quidem contraria inter se sunt, & perfecte opposita? nullum autem horum potest quicquam per se efficere. Quid enim erit, scilicet ad generationem corporis, siccum sine humido? aut quid calidum sine frigido? Si igitur contrariorum coniunctio efficit corpus, quae nam ille ex quatuor elementis referet ad nequitiam? aut quae ad bonum? si enim Manichaeus in omnibus elementis mixturem boni & mali cogitatione fingit, necesse est diuidere quatuor in duo, & haec scilicet aequaliter separare; vel tria in unum. at quodcumque referat ad bonum, reperietur posse per se nocere; quia nullum ex quatuor elementis est purum, ac merum, & non periculosum, ac continuo quod in mixture redudat, efficitur corpori causa interitus, ut aiunt, qui sunt in his periti, & exercitati.

Si ergo calidum quidem per seurit, frigidum uero refrigerat, siccum autem siccat, & humidum humorem efficit, quod horum Deo attribuet iste planus? ipsum enim corpus totum consentaneum est ex iis elementis mixtum esse, ex quibus compositum est, & per se existit. ut autem unumquodque elementum sit ex mixture eorum elementorum, ex quibus sit mixtio corporum, fieri non potest.

Quam obrem ratio non patitur, ut quodque singulare & indiuiduum elementum in duo contraria principia diuidatur, & mixtio cuiusque eorum introducat. quam enim compositionem excogitabit in sicco deceptor iste? quam mixturem in mero, & puro igne? aut quam coagmentationem in frigido, quod ex toto frigidum est? similiter in humido.

Haec enim unius formae, & indiuidua plane sunt. ut nullum horum per se possit existere, sed aliis iunctum.

Insanit igitur & quidem grauissima insania, cum partem quidem ignis dicit esse boni; partem uero mali. est autem necesse illi hoc facere in elementis, & diuidere, quae diuidi non possunt. siccum enim



enim ex toto sicum est, & per se siccitas simplex est, & vnius formæ. & frigidum neq; cogitatione diuidi potest, cum sit vnum, ac simplex ex toto: similiter humidum, & calidum.

Quid igitur in igne erit Dei? & quid contra erit nequitia? quando quidem neq; diuisionem recipit, neque mistionem accipit, cum sit purum, & merum. corpus enim diuiditur saltem cogitatione. merum autem elementum quomodo ex contrariis compositum esse videri potest? quidnam contrarij cogitare quis potest in puro igne?

Si igitur vnum quodq; est ex toto periculosum, nullum eorum, per se secundum rationem Manichæo congruet bono, sed potius omnia referentur ad malum: præterea non erunt corpora ex altero composita, quod est alienum à fundamento Manichæi.

Quomodo autem videbitur ei in igne hoc quidem esse salutarem, quod est boni, hoc vero mortiferum, & vrens, quod est mali, nisi insanè fingat. mistionem elementorum, ex bono, & ex malo? quod quidem si putet, cogetur tribuere Deo, quæ vult ex quatuor elementis, quæ ex toto, & indiuidue tali natura prædita sunt. & cernetur confiteri existere ex Deo merum, & per se nocens. diuidit autem insanus naturam ignis indiuiduam, dicens aliud esse in igne salutarem; aliud verò vrens, non intelligens barbarus, in vsu ignis esse diuisionem, non in natura ignis. huius enim nimia propinquitas perniciosa est: moderata verò distantia securam participationem caloris affert. cum alioqui ipsa vis vrendi sola, quæ quidem est ignis, necessaria sit. hæc enim mollit, & liquefacit ea, quæ ad vsum necessario adhibentur. vt nihil aliud sit ignis, quàm vis eius ad vrendum. & nihil aliud necessarium sit ad hunc vsum, quam hoc. Manichæus verò valde ingratus, & beneficiorum Dei immemor ignem vituperat.

Si quis autem ponat quatuor elementa, sicut ille opinatur, ad malum pertinere, quomodo hæc, quæ sunt singula vnius naturæ, contraria esse videantur? Si enim calidum est ex ipso, frigidum ex altero, aut contra, si frigidum ex ipso, calidum ex altero, & sic rursus in alia coniugatione hoc fundamento posito, mistio corporum fieri non poterit. si verò ad excogitationem nequitie referat inuentionem extruendi mistionem corporum, sapientissima apparebit nequitia, quæ alioqui cognitionem, & intelligentiam non habuit, ita vt maximam creatoris laudem, & admirationem ferat, si quidem cognouit, quomodo per se existeret mistio scilicet corporum.

Sed quia solem honorat, & vt existimauit, decernit non habere missionem mali, age videamus de sole pro studio veritatis. videbitur enim esse vnus ex quatuor elementis, substantiæ, inquam, calide, non enim nocet subiectis, sed solum calefacit, & iuuat, quia plurimum distat: quibus autem appropinquat, vrit, & tale solum sterile reddit. & in æstate cum in terram iacit radios puros in meridie, vsq; adeo eam calefacit, vt pauimentum nudis pedibus suppositum instar candij sit.

Sæpe autem homines in flammam solis incidentes nimio æstu interierunt non iuuento prope, quod refrigeraret: efficit autem nigra corpora, & adurit, facitq; plane, quod ignis solet: imo ipse ignem fecunde generat, si quis aquam in vase vitreo soli aduerso admoueat. vis enim radij solis lucido illo aquæ & vitri coacta, & conferta: atq; in angustum quidem transmissa, & adiuncta materiæ, facile ignem concipienti, simul parit ignem, & aperte suadet non volenti contēdere, esse quidem solem speciem ignis, ex operibus verò splendidis ipsius creationis ipsum primum, siquidem natura ignis splendidior est omnibus.

Cum enim omnia alia elementa deorsum ferantur, solus ignis in ea quidem, quæ comburi possunt, insultat, fursum verò supra omnia fertur leuitate sua, aëremq; ipsum conuincit grauiorem esse, quia supra eum in sublime fertur, vt subtilior, tenuiorque appareat quam aër propter cognationem cum sole. Vnde Manichæus cum solem facit diuinum tanquam ex natura boni, videtur similem igni facere, immò talem quendam, qualis est ignis, introducit. Sol enim substantiæ calidæ, ab igne differt ruy *θεοσ*, efficiencia verò idem operatur, nisi mensura distantia ea, quæ sunt opposita à validiore iactu radiorum defendat. quinimmo omnibus animantibus, & stirpibus nocens existimaretur, nisi simul alia cum eo fabricator mundi ad auxilium fecisset, quæ faciunt, ne nobis, & aliis animantibus noceat; hæc autem sunt latibula, & tecta. stirpibus verò aquæ sunt auxilio, & flatus ventorum.

Quare qui definiunt esse quintum elementum solem, ne contra ea, quæ clara sunt, contentiosè disputent, nec vlla fides habeatur Manichæo scelestissimo, & in Deum blasphemæ, qui solem cum Deo confert, & ex substantia eius esse dicit. Omne enim, quod sub aspectum cadit, cum sit corpus, natura oppositum est inaspectabili, & incorporeo, cuius opus esse potest, & quidem opus valde mirabile, similitudinem verò nature nullam habere potest. Valde

Valde difficile esset enumerare, quæcunq; impia hic planus li-  
bris suis inseruit. vituperans enim res omnes tanquam malas, fru-  
ctus etiam terræ tanquam nutricios materiæ accusat. ac solem qui-  
dem admiratur, & ex bono esse decernit, quæ verò alit calore, stirpes  
dico, & femina, non pudet acerbè vituperare, quæ quidem sine sole  
qui à Deo factus est, omnino non consistenter. Sicut enim nihil  
iuuaret sol, nisi imbres arbores irrigarent, & viles venti perflarent,  
sic imbres, & alia sine sole nihil iuuarent.

Ille igitur etiam hic vehementer secum pugnat, accusans gra-  
uiter, & ad nequitiam referens fructus terræ à sole alioqui auctos,  
quem valde admiratur, & honorat. imbres dicit esse superfluentias  
præsidum materiæ, qui ex amore laborant aduersus potestates boni,  
qui cum ita laborent, sudores eorum esse definit, id quod in eis, vt  
ipse putat, abundat, & superfluit.

Nititur etiam docere, superuacaneos esse imbres in mare, &  
in loca sola, & quæ non seminantur, effluentes, tanquam adue-  
nerit ad ratiocinandum diligenter contra Deum, quasi frustra, &  
profusè, ac prodigè aquas consumat, qui præsumma amentia  
non videt, quid Deum deceat. Quòd si Deus inops aquarum es-  
set, faceret diligenter vt accommodate ad vsu, & necessitatem  
effluerent. Sed quia diues est, & tam diues, quantum nemo oratio-  
ne consequi potest, hæc ipsa abundans imbrum effluxio demon-  
strat mare, ex quo aquæ in aërem feruntur, per imbres irrigare. so-  
litudò verò, & locus, qui non exceipit semen, necessario pluui-  
am accipit ad suppeditandum fontibus, & aliquando iter facien-  
tibus, vt inueniant aquas collectas. Denique vt terra expers plu-  
uiæ sole arderet, non sanciuir: vt plurimum enim aut per flumi-  
na, aut per imbres vniuersa terra rotam à Deo accipit.

Sive igitur non pluat, præsto est Manichæus & qui cum se-  
ctantur, ad blasphemiam Iudaicam; siue pluat, non definit inaniter  
accusare, & reprehendere Deum. & panem si in manus ad vescen-  
dum sumant, primum discipuli blasphemiz Deum maledictis inse-  
ctantur. atque ita ingrati satiantur. & quasi nihil fructus ex crea-  
tura perciperent, linguam soli in eam acuerunt, immò in aucto-  
rem eius, & tanquam inimicissimi Dei, ea, quæ sunt creata,  
participant, idq; succentes, quod eis indigent.

Procreationem liberorum contumeliose vituperant, volentes,  
vt corpora sine ea miserentur, qui serui quidem sunt necessariz sue-

cessionis à Deo sancitæ, sed non voluptatis, inimici autem per omnia veræ, & germanæ virtutis, ac pietatis, tanquam accusantes humani generis perpetuitatem, & volentes alicubi sistere processum eius naturalis, sancientes legem Deo, & bonitati eius succensentes, quæ eorum blasphemiam patienter tolerat.

Cum alioqui naturalis quidam appetitus concubitus ob eam causam corporibus constitutus, & ordinatus est, ut animalia ferè necessitate motuum naturæ ad efficiendam successionem ferantur, sapientia infinita creatoris qui hoc statuit, etenim quia laboriosi sunt partus muliebres, laboriosæ item viris & fœminis educationes liberorum, valde autem necessariae successiones, appetitus quidem naturaliter mouet, & quodammodo vim adhibet, ratio autem sancte demonstrat præstabiliorem esse successionem voluptate, & extraculpa est voluptas corporum, si quidem rationem, & legem auctoris sequatur.

Qui autem sapius voluptatem capientes, opus quod inde necessario prouenit, odio habent, & mandant sic committere corpora præter edictum, ut conceptus eoncludant, & eiciant, & pariter tempeliosos & maturos non expectare, quippe cum hoc solum sit graue, & difficile, hi inquam, qui inimici naturæ excitati sunt, & insanire contra Deum vniuersi didicerunt, Quare, inquit, insita est corporibus libido corporum commiscendorum?

Sed quomodo esset in hominibus decor pudicitie priuata, nisi natura esset quod titillaret, & ratione coerceretur? vbi esset apud mulieres virginitas, aut apud viros intractatio nuptiarum, nisi ratio amorem sanctitatis haberet, quæ naturaliter certans eos, qui recte cupiditatem insitam reprimunt, & domant, victores declararet? idque non ad contumeliam naturæ, sed ad exercitationem tolerantia, & sanctitatis? sic sane cibus, & potionibus delectamur, non criminosa voluptate fruente, naturalis enim hæc est, & tamen ieiuniis nos exercemus, non quod est supra naturam contra naturam exercentes, sed tolerantiam amplectentes, & Deum per humiliationem placantes, & propitium reddentes, nunquam exercitationem ieiunij suscipremus, nisi fames esset in corpore.

Vbique igitur appetitus acciscit laudem & moderati vsus ciborum, & abstinentiæ pro viribus, non enim vsus eorum, quæ secundum naturam sunt, peccatum parit. vini quidem moderata potio salutaris esse potest, vitium verò ebrietatis per intemperantiam introductum.

Similiter vsus cibi secundum naturam moderati culpa vacat, gula vero arguitur, & reprehenditur propter nimium, & quia est preter rationem. sic etiam vitæ legitimo, & moderate appetitu miscendi corporis, omnino caret crimine, præter legem autem, & immoderate vitæ crimen affert incontinentia. Manichæus igitur, & eius asseclæ nihil ratione perspicientes, omnia furenter contumeliosè affecerunt, tanquam omnis cupiditas sit mala, cuius quidem modus, & temperamentum legitimum extra culpam, & crimen est, abstinencia vero pro viribus spectata laus est admirabilis virtutis.

Si enim quis abstinens laudabilis est apud Deum, non male in potestate eius est, id cui abstinencia officium est perfecte virtutis, maxima enim iactura fieret, si in potestate eius non esset, tanquam non posset educta virtus per abstinencia, nisi enim contrarium fieri possit, non potest fieri malum. neque rursus fieri potest bonum, nisi possit malum, ut sæpe demonstrauimus. Manichæus autem bonum, & virtutem in honore, cum potestatem, & libertatem vituperat.

Præterea non pudet dicere animatos esse lapides, & introducere omnia animata, & quæ manifesta sunt inanimata, tanquam illa virtus boni in lapidibus etiam contineatur, qui vsque à Deo quod ab ipsis honoratur, ad ludibrium, & vilitatem deicit, ut naturam boni in lapidibus inanimis ligatam esse dicat. affirmare autem sic se habere ista, quæ dicit, quæ in sanæ iudicium esse dicitur, si enim in lapidibus continetur, quod à Deo missum est, iam vicit nequitia, contra ligato, quod ad ligandum venerat: dicit animæ lapidum, & lignorum iudicium esse sonum in aëre lapidis, & virgæ, tanquam audierit aliquando vocem ipsorum articulata.

Est autem apud nos etiam cogitatio, & sermo animæ, qui nequaquam auditur, quod enim auditur, percussio aëre per instrumentum corporeum, auditur, quod quidem absque motu rationis in animantibus, ratione carentibus inueniri potest, quæ clamant quidem, sed non articulate, quia ratione priuata sunt.

Est autem proprium corporis licet sit inanimatum, percussio aëre sonitum reddere, quod enim caret corpore, non reddet vocem, quæ audiri queat, quia non percutit aërem, cum sit ab instrumento percutiente liberum.

Quamobrem incorporeæ potestates inanimæ videbuntur, quia nihil quod sensu auditus percipiatur, ab eis ad nos fertur, quod igitur oportebat fieri iudicium corporum profus animæ carentium.

ICOMISU  
om. 10  
SIV  
27

vt quæ necessario aërem pulſant, (hoc enim corporis eſt, non animæ) hoc accepit Manichæus tanquam ſignum animationis. hinc etiam eſt, quod grauitèr accuſat eos, qui mactant quadrupedes, & volucres, quæcunque homines ad veſcendum adhibent, tanquam hæc etiam illa virtus boni animæ, in eiſque contineatur. Sic ſtudet, vt modis omnibus contumelioſe vituperet, quem bonum ſcilicet appellat. interrogandus quippe eſt, cuius pro curatione tradita ſunt hæc à principio hominibus ad veſcendum? an nequitia tanquam contumelioſe in bonum? at non fuit illa tanta rei conſcia, vt quæ cognitionem non habuit, non enim alius creator mundi fuerit; neque Deus, vt ait, creauit, & virtutem ex propria natura produxit ad correctionem materia.

Extiterunt igitur omnia animalia volente eo, qui creauit, & quæ ad alendum homines idonea ſunt, & quæ non nemo igitur alius procurauit, vt hæc hominibus in cibum, & alimentum adhiberentur, niſi qui ea creauit. non enim vniuerſa natura, quid ſibi vtile eſſet, cognouiſſet, niſi qui eam fecit, ſic ſanxiſſet. Ex quo continuo factum eſt, vt hæc fuerint diuitiæ natura, quippe cum nunquam earum vſus deficiat, & quo magis quædam vſu conſumuntur, eo ſunt diuturniora. ac partim quidem alunt homines, partim veſtiunt, & alia alios vſus præbent, facta homini ſerua à creatore. vnde ſubiecta ſunt ei etiam, quæ ſunt vſta mole, manſuetè obedientia. & quæ in aëre, artificio rationis ad nos trahuntur, & quæ in aquis, educuntur, atque ea magis, quæ vtilitatem hominibus explent. Sic patet, non homines ſibi per vim animalia ratione carentia ſubiectiſſe, præter voluntatem eius, qui ea creauit, quin potius lex creatoris hæc eis ſubiicit.

Dicit etiam Manichæus impium eſſe bouem arationi terræ applicare, ne anima à Deo miſſa, valde ſeruitute preſſa videatur. & quomodo agricultura ſuſtentari poſſet? quomodo durans genus hominum perſeueraret? ſic Manichæus omnia præter communes notiones contra creationem variè furens finxit. Serua enim hominis naturaliter manſueta animalia facta ſunt, & vſui eius deſtinata. non manſueta autem alia ratione ſerua, præter cauſam dictam, vt homo ratione in omnia animalia ratione carentia dominaretur Deo ob varias cauſas id procurante, alioqui non Leo tantum fera fortiffima, aut aliqua alia huiusmodi beſtia, aut ſerpens hominem vinceret, ſed culex etiam, aut aliud ex minimis, verùm natura ferarum aliter etiam quam

quam dictum est, ad aspectum, & experientiam hominibus diuersis de causis necessaria est.

Sed quia ad singula, quæ ille nugatur, & fingit, respondere & occurrere delirum esse videtur, contemplandum est intelligentiam sine disputatione, quomodo vnus verbo omnia aptata sunt. Vna lex creatoris in omnibus dominatur, & nihil in rebus pugnat, neque belli iudicium, vel dissensionis in creaturis apparet, quin potius omnia (homine quidem peccante) pacem inter se habent, vt quæ ab vno pacis, & quietis statutum acceperunt, à quo hoc ipsum, quod sunt, à principio habent. conspirat enim cum rebus quæ in terra sunt, cælum pluens, cum tempus postulat; ac rursus pluuiam sustinet, cum opus est solo calore ad maturandum: sol autem suo circuitu lege auctoris constituto efficit tempestates, nunquam eas commutans, quin immò vnum ordinem earum immutabilem tenet, perseveratque in natura varietas, atque vna & eadem summa conspiratio supra & infra cernitur. nox autem omni sæculo permansit sine inconstantia aduersus diem, non motu fortuito, & carente ratione dici succedens, sed sapientia auctoris addendo, & subducendo temperata, idque non alias aliter, quin potius manifestum, ac certum est tempus accessionis; manifestum item & certum tempus subductionis. rursus sol non grauatur nocti succedere; neque contumeliam ducit legem creatoris, sed potius more probi serui, confecto sine cessatione vlla cursu dici, recedit, vt ei lex imposta est, diligenter se abdens, vt nox spatium sibi dimensum recipiat.

Quid verò de terra, & mari dices? quomodo ambo terminis circumscripta sunt? licet videre mare fluctibus elatum, lege autem ab impetu prohiberetur, & vi ventorum impulsurum in terram, metu autem legis retrosum reflexum. quamuis non murus adamantinus auxilio est ei, ne mare effluat, & inundet terram, & non obediatur auctori suo, quin immò satis est propugnaculum terræ aduersus mare verbum eius, qui fecit, coërcetque; arena, quin potius lex cohibet & foris flatus ventorum violentos, & intus fluxionem aquarum, vt nullam partem terræ inundet aqua maris. & creature quidem amicæ, & tanquam inter se germanæ vnum verè auctorem sibi ascribunt, ac profitentur. Quis enim vnquam historicus scripsit, in cælo motum stellæ in stellam factum esse? aut in terra animalia alterum genus oppugnasse, vt ipsum delerent, aut ipsa contra delerentur? sed potius quæcunq; aliud in aliud incurrunt, & inuadunt, sapientia creatoris

toris statutum est hoc; ut quæ abundant, consumantur; quæ & esse  
& consumi, vtrumq; hominibus prodest.

Si quis autem ad ipsa principia corporum consideranda veniat,  
& quatuor elementa contempletur, quemadmodum eorum conspi-  
ratio, ac contentus ex contrariis pendat, magis stupebit consum-  
rerum, ut quæ ab vno, & solo hoc ipsum, quod sunt, habeant in his e-  
nim quatuor elementis, id quod contrarium est, amicitia causa est:  
& quod in eis natura pugnat, summam pacem facit. quæ quidem  
quatuor numero sunt; vnum verò conflatur, ac coneurus; quin potius  
us se ipsis inter se indigent, ut sint; & ipsa natura contrarij se vicissim  
adiuant; & in se ipsis inter se abdita sunt, & per se ipsa inter se appa-  
rent. & ut paulum dicam; neq; calidum frigidum frigescit, nec  
humore humidi extinguatur, neque siccum ab igne combustum est:  
nec ab humido humore perfusum. ex his enim inter se constituta sunt,  
& consistunt; & in se ipsis mirabiliter insunt. ac putabis quidem so-  
lum ignem esse, non tamen absq; humido, & sicco, quibus quidem  
alitur, & splendet. Sicut alia in se ipsis inter se insunt, tactu tantum  
contrarium indicantia, sic tamē sibi inter se amica, ut nullam discor-  
diam habere videantur. Hæc autem silentio prædicant admirabilem  
vnius ingeniti sapientiam, à quo facta postea concreta, ac mista, sunt.  
non enim corpus ex vno quopiam & simplici elemento fieri potest.  
mixture enim & concretionem constat corpus, quæ autem con-  
cretio, ac mixtio esse possit sicci tantum? quæ humidi solum?

Igitur necessaria est varietas ad mixturem corporis, necessaria  
item natura contrariorum, quæ in auctoris admirationem ad coag-  
mentationem vnius urget. quæ quidem non primum per se sola con-  
stituta sunt, atq; ita coierunt ortum pariter inter se capientia; & si-  
mul ut facta sunt, sensibus sunt diiudicata. Cum enim corpus  
per se extitit, ratio & mens coniuncta, & concreta, sensu discer-  
nit, quamobrem natura contrariorum postea deprehensa est sensu  
corporis, quod ex ipsis concretum, & temperatum est. quæ quidem  
non prius sunt, quam corpus ipsum, sed simul cum eo incipiunt esse.  
Quis digne, ac meretur, admirari potest potestatem creatoris, & con-  
cordiam, ac concentum creaturarum? quàm in pace, & sine pugna o-  
mnia, excepta iniustitia hominum.

Permanet igitur ac perseverat omnis fabrica in suo & ordina-  
to motu conservans in se immutabilem legem auctoris. æquis ve-  
lit, si sensus animæ sanos habeat, cum hæc ita sint, & infinita alia, quæ  
omnia.



omnem mentem superant, aliud principium cogitatione fingere, & hoc soli Deo ingenito opponere: concors enim, & consentiens principium somnare superuacuum est, cum vnum sufficiat, contrarium vero suspicari, furiosi prorsus est, cum vniuersa inter se consentiant, varietate quidem ornata, in quibus sapientia veri auctoris factum est, veritas, & tranquillitas cum austeritate appareat, quia omnis suauitas nimis mera, nocens est, & ratione aliena: feneritas vero, & austeritas sola, suauitatis expers, ad feritatem & inhumanitatem spectat. Vtrumque autem corrigit, & delectat, exhilarat, & deterret. promittit suauitatem, & minatur terrorem. proferendit spem donorum, & substendit periculum suppliciorum, ne ratio eorum, qui in terris versantur, mollicia, & laxitate propriarum rerum in ignauiam demergatur; neque perpetuo metu percussa caeca fiat. Sed

potius ex vtraque parte & ad timorem,  
Dei & ad virtutem instituat.

*Finis libri secundi.*



PRÆ.

ICM  
SIV  
27



PRÆFATIO IN  
LIBRUM TERTIUM  
TITI BOSTRENSIS CON-  
TRA MANICHÆ-  
OS.

**V**æ superioribus libris tum ex rebus ipsis, tum ex communibus notionibus dicta sunt, fortassis omnium, qui extra ecclesiam sunt, mentem munire possunt, ut blasphemiam Manichæi in auctorem uniuersi non admittant. Quia verò aliam venationem contra eos, qui intra Ecclesiam sunt, grauem quidem illam & periculosam meditatus est, quædam in scripturis sanctis dicta ad suam falsam doctrinam per vim detorquens, tempus est, ut ex diuinis scripturis confutationes contra eum agitemus, ad muniendum eos, qui ipsis scripturis sanctis credunt, qui absurdis, & improbabilibus earum interpretationibus interdum ab illo decipiuntur. Vario enim fallendi artificio errorem, quem adiutore diabolo ex cogitauit, firmare nititur. apud Gentiles quidem non refellens illorum dogmata, quæ verò minima mala sunt, in maiorem molem impietatis extollens, peruersiorem Hellenismum introducit.

Quibus serè ad omnia consimili opinione malarum, & falsarum doctrinarum circumuolutus, accessionem fictionum suarum immittit. apud Christianos verò, scilicet quæ Christianorum sunt, aggressus, & probabilitate nominis Christi, & verborum scripturæ,

ra, & modestia specie lupum quidem qui est ipse, intus tegit, pellem vero ovium extrinsecus indutus, efficitur falsa stella gregi. arguita imprudentioribus, & minus cordatis nocet, cui propositum est, impietatem maxime omnium novam tum à se, tum ab aliis colligere. Ut autem nullus Christianus novitatem eorum malorum, quae collegisset, expendere saltem, & considerare aggredieretur, Paracletum se appellavit, vsu nominis, quod non solum supra hominem, sed supra Angelum est, fallaciam suam tegens, ac dissimulans, ut auctoritate appellationis probabili, homines alioqui stulti, nullo adhibito iudicio, quae dicit, amplecterentur. aliquando etiam tanquam Apostolus Iesu Christi, barbaris genere, idem genere & mente barbarus impietatem per epistolas tradit. sed de his postea.

Ex scripturis, quae sunt veteris testamenti, illas ascribit Nequitia, quam vocat, legem scilicet, & Prophetas. euangelia vero & reliqua novi testamenti à Bono data esse dicit, ut putat. sed nec haec quidem iste inuentor blasphemiae affirmat esse ex toto à contrario Dei vacua & pura, sed esse in his multa à materia, quam vocat, admixta, oportere quae his ablatis sola relinquere, quae ad partem boni reputat pertinere.

Sic correctionem Sanctarum scripturarum, ut opinatur, solus aggrediens, & hac potissimum ratione ausus videri paracletus, plurima quidem tollit, pauca vero novi testamenti relinquit, quae concantum, ac concordiam cum cognatis sermonibus desiderant.

Putat quidem omnem blasphemiam eis imposuisse, ut qui illa solum reliquerit, quae ad illa monstra, quae fingit, trahi possint, nihil vero minus etiam haec ipsis amentiam, & furorem summum coarguant, ut iuvante Deo aperte disputatio cum in eis verfabatur docebit.

Ostendendum igitur primo est quam dementer in sanctas scripturas veteres blasphemus est, consentiens hactenus cum se anti-

2

quio.

quioribus, viris pravis, & ab Ecclesia eiectis: impietate vero omnes illos superas. Si igitur sicut Gentiles historiis scripturarum penitus non credunt, sic etiam ille non credens scripturis, nequaquam, aut fortuito facta esse, quae in eis narratur, diceret, neque nos quicquam contra eum de his disputarem: nec ipse maiorem confutationem per hoc subiret.

Sed quia veritatem Dei in eis fuisse attestatur, causam vero horum esse ait nequitiam, quae nihil est; Age, doceamus nunc, quomodo magna opera, ac magis admiranda nequitia, quam ipse accusat, attribuit, quippe qui caeca ratione non intelligit admirabiles Dei creatoris universorum gubernationes, ac providentias, quae in historiis feruntur.

Sic igitur ad verbum siue ille, siue alius quispiam eius discipulus, qui caput inscripsit de prima formatione humana. Quia cognoverunt magistratus materiae, quod si omnino pars luminis, quod in eos incidit, omnino auferretur, mors eis advenitura esset, machinati sunt descensum animae in corpora, quae quidem ne illo modo rediret, unde descendisset, ipsi curarent; reversa vero, ut non reperiretur digna habitatione supera, repote fecerunt carnem inquinatam, & pollutam.

Et Paulo post: Quamobrem unusquisque eorum, qui sunt magistratus materiae, sicut diximus prius, propter motum factum, & propter eum, qui primum apparuit ad redemptionem animae, ianua primum aperta, praeter terrorem invidiam dimissa virtute, quae in eo erat, formavit se ipsum ad venandam animam, & imitationem sui fixis in terra, coegitque animas delinitas, ut difficile ab ea imitatione abstraherentur.

Ac primum quidem Adam ab eis formatus, ac factus est instrumentum cupiditatis, & esca animarum e caelo descendentium, & Machina ad trahendum eas in corpora. Primum autem considerandum est, quantum sapientiam opinione sua asseribit, & attestatur magistratibus materiae, quam omnino de ignorantia condemnat, & vituperat,

superat, tanquam machinatis per carnem descensum animæ ad eos, ne priuarentur lumine eis admisso, qui rursus redire animæ non scernerent. Sin vero rediret, indigna superna habitatione tanquam fordidus carnis polluta declararetur, quasi non posset Deus animam à se creatam integre seruare vultus Machinis magistratum materia. Ac de his quidem adhuc dicere an non est ridiculum?

Quia vero ait, primum, quod magistratus materiae formatum, esse Adam instrumentum cupiditatis, & escam supernarum animarum, didicimus hinc clare eum dicere, esse hominem formatum à materia, quæ minime est, qui materia, & nequitia vbiq; plus tribuit simulatione accusationis. nunc autem ipsam dicit hominem fecisse animal omnium animalium, quæ in mundo corporeo sunt, praestantissimum, ac maxime regium, & potestate ratione præditum, & admirabile tum ratione natura, tum institutis, atq; exercitationibus. Questionem autem ponit de vniuerso mundo, quare factus est?

De homine autem, dum nititur demonstrare, non esse à Deo formatum, mouet alias questiones dementes. Quomodo, inquit, dedit Deus Adæ mandatum? alterum enim ex duobus necesse est, aut cognoscebat, quod transgressurus esset, & sic non solū frustra, & inani-ter dedit, sed ipse est in culpa, & reus peccati illius; aut si dicatur ignorasse, necesse est dicere, Deum ignorantia præditum esse. vt iam mandatum quidem à nequitia, vt opinatur, datum fuerit ad insidiandum homini, & non ad alium vsus. adiutum verò magnopere fuisse, & liberatū hominē, cum credidit consilio serpentis, quem angelum Dei esse decernit. cæcus enim, inquit, erat. cum autem gustasset vitium, cognouit se esse nudum, & tegumento inuēto vsus est; cognouitq; bonum, & malum. Sic magnam cepit vtilitatem.

Quomodo, inquit, Deum decet, vt dicat; Ecce Adam factus est tanquā vnus ex nobis sciens bonum, & malum. nunc autem ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum? Si enim poterat recuperare immortalitatem, inuidia fuit, qui ex paradiso vitæ cecidit, & à participatione ligni vitæ exclusit, quo participato semper immortalitatem habere poterat.



# TITI BOSTREN- SIS CONTRA MANI- CHÆOS LIBER TERTIVS.



Ostquam autem de principio breuiter differui-  
mus, pertractemus quaestionem de lege. decre-  
uerunt enim amplecti euangelium, legem, verò,  
& Prophetas reprehendere studuerunt. ac to-  
tum quidem vetus testamentum calumniati sunt,  
Euangelia verò honorare se suspicati sunt, ho-  
norem potius Euangeliorum simulantes, vt esset simulatio inuita-  
mentum eorum, quos deciperent. nec enim q. assentiuntur euangeliiis,  
honorare se euangelia consistunt. quin potius quia honorant no-  
men Iesu, fingunt honorem euangeliorum. oportebat autem eos, si  
quidem euangelia honorabant, non circumcidere euangelia; non  
demere de euangeliiis; non alia apponere, neq. verbis, & propria sen-  
tentia euangelia adscribere. nec enim eorum lingua hæc euangelia  
habet. & eorum lectionem prætermittunt. adscripserunt itaq. quæ-  
cunq. voluerunt; & detraxerunt, quæcunq. iudi cauerunt. & postea  
nomine appellant euangelia, qui corpus euangelij non seruauerunt,  
sed potius aliud corpus litterarum, quod vsque ad nomen tantum  
euangelij pertingit, propria voluntate fecerunt. plus enim quam  
Gentiles euangelia inhonorauerunt; illi non recipiunt, & non reci-  
piendo non corrumpunt, sed solum reiiciunt; non tamen calcant  
litteras. hi vero cum recepisse videbantur, calcauerunt, insultarunt,  
& adulterauerunt litteras; & quod præstigiatores, & improbi faci-  
unt, fecerunt. illi non crediderunt solum, & quibus non crediderunt,  
de eis à se differi non patiuntur. hi vero in medium prædeutes co-  
nati sunt concentum soluere; modulationem doctrinis artifi-  
cio fabricatis tollere ausi sunt, præparato nomine euangelij, vt esset  
fallacis

fallaciæ causa. si enim euangelium cognouissent, legem non ignorassent. quod si legem ignorauerunt, quomodo Iesum receperunt? sine lege enim Christus non recipitur. nam qui finem desiderat, principium inuestigat. contra verò, qui est principij contemptor, vanus est, vane loquitur, non potest in finem euadere.

Si autem finis legis est Christus, frustra laborant, qui legem fugiunt, & cognitionem Iesu se habere profitentur. Nisi lex loquatur, Dominus non agnoscitur. taciturnitas enim legis, ignoratio est prædicati. rursus vero cognitio legis, noticia est prædicati. si enim Moysen audirent, crederent in eum, qui venit. Sane quidem neque suscitatio creditur, nisi lex fidem faciat audientibus. Et si quidam dicat, Mitte Lazarum, vt nunciet fratribus meis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormenti; & respondente Abraam, Habent Moysen & Prophetas, dicat, Nisi quis ex mortuis resurgat, non credent; audiet tamen iste, si Moysen & Prophetas non audierunt, neque si quis à mortuis resurgat, audient. O rem miram! neque si quis à mortuis excitatus nuncium afferat, ei creditur sine lege, & Prophetis. immo neque Dominus Iesus Apostolis apparere voluit transfiguratus, nisi adhibitis lege, & Prophetis. & qui potuit testimonium à patre ferre, non inhonorauit consortionem Sanctorum, quin potius eum vellet certissimam fidem in conspectu Apostolorum facere, quod in montem eos adducebat, & transfigurabatur, ostendebat Moysen, & Eliam, vt testimonio esset consociatio sanctitatis illorum. & vt is, qui Iesum recipit, socios eius ne dedecoret; ne si eius stipitatores, & ministros paruis faciat, regem ipsum inhonoret.

Denique tantam curam legis, & Prophetarum Saluator habuit, vt nihil ex lege non perfecit; omnia autem, quæ scripta erant, patrauerit, clamaretque; Nō veni soluere legem, sed adimplere: ingredere autem in templum, & turpes inde administrationes domus Dei eiecisset, vt reddens domum puram, re ipsa plenissime persuaderet se suorum, ac paternarum rerum procuracionem suscipere. Clamat enim, Domus patris mei domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum. & quia sunt infinitæ scripturæ, quibus illorum absurda opinio redargui potest, nos ne prolixè scribentes librum in longum producamus, permittemus aliis vt verborum analogis, nos autem breuitate vsi ad ea, quæ contra scripturas dicunt, pergemus. recipientes euangelium non recipiunt legem. quia non totum & integrum euangelium recipiunt; alioqui legem reciperent, si uni-

Qui enim analogis verborum id est, com- si uni-

Ubi cau-  
ponantur  
euangeliū,  
qui in fa-  
bulam il-  
lud ver-  
vunt, &  
cogitata  
sua cum  
gratia mi-  
scent. Sic  
Theodor.  
2. Cor. 6, 2.  
interpre-  
tatur cau-  
ponari  
serbum,

si vniuersum euangelium tenerent. nunc autem primo cauponati euangelium, consentaneè legem non recipiunt. Conuincuntur igitur non tenere legem, propter latrocinium in euangelio. Si autem euangelio testimonium tribuunt, & legem non honorant, testimonium inhonorant. non iam enim est hoc legem inhonorare, sed potius non credere testanti. ac si vnum quidem euangelium testaretur, aliud vero taceret, & vnius tantum dedecoratio esset, non tacerent alia euangelia, quæ dedecorationem vnius communem ducerent.

Si verò Marcus ait principium euangelij Iesu Christi, sicut scriptum est in Esaia Propheta, Matthæus autem liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraam; & hic quidem progenitorem Iesu secundum carnem scit esse Abraam, & Dauid honorat, coniungit euangelium cum lege, & legem cognouit esse principium euangelij, fatetur verum saluator, cum ait; Qui vos spernit, me spernit. nō enim vsq; in legem euadit dedecus, & ibi residet, sed in ipsum Saluatorem redundat. A Iudei qdē audiatis, si Moysen audiretis, audiretis vtiq; me; de me enim scripsit ille. Manichæi verò audiāt: si euangeliū audiretis, & legem audiretis, de lege enim scripsit euangelium. Verum Iudæi quidem velo oculis adhibito, neq; legem intellexerunt; neque nunciatum agnouerunt. Hæretici verò oculos habent cæcos, & aures surdas. Quia non introspiciunt in euangelium, legem oppugnauerunt. Ioannes enim clamat: Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes; hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine. cognouit testem, & cognouit de quo erat testimonium.

πρωτοε-  
φα.

Eadem  
voce pa-  
tri scilicet,  
quia Da-  
uid patrē  
Christi vo-  
cauit sicut  
Matthæus.

& testem præscribit inquit: Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem. Ioannes igitur testatur; & lex testis est; & testimonium legi perhibetur.

Vide, non credere testimoniis, quantum absurdi afferat. atq; hi qdē cum talia dixerint, neq; Lucas silet eadem enim voce vsus est, & aliis euangelistis consona loquitur. narratque qd Gabriel qdē apparuit Mariæ, & cœlestē salutationem ei attulit, inquit: Ave gratia plena, Dñs tecū; quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista saluatio. & ait angel⁹ ei: ne timeas Maria, inuenisti enim gratiā apud Deū: ecce concipies in vtero, & paries filiū, & vocabis nomen ei⁹ Iesum. hic erit magn⁹, & filius altissimi vocabit. & dabit illi Dñs sedem Dauid patris ei⁹, & regnabit in domo Iacob in æternū, & regni ei⁹ non erit finis. Honorat Dauid, & pater eius esse conceditur, & stat ac durat principat⁹ eius, traditurq; Dño, & finē non habet, cuius gloria perpetua est. atq; hæc qdē sunt principia euangeliorū. oportebat



tebat enim, vt ex principiis sermonē texeremus, post quē, q. ponē gra-  
diatur, consecutionem, & concentum sermonū ex vniuersis euange-  
liis intelligat.

Quia verò etiā Apostoli ministri euangelij stylū euangelicū seruāt,  
& Paul⁹ quoq; eū nouit, & ministeriū passionū suarū in parte euange-  
lij metū. ait enim: Secundū euangeliū meum per Iesum Christū. nos  
neq; principia Apostoli prætermittimus. quin illa cōmemoremus. vt  
oēs scripturas, & principia scripturarū percurrētes, vna carū voce le-  
gē dispensemus. Scribens igit̄ Hebræis sic ait. Multifariā, multisq; mo-  
d̄ olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissime diebus istis lo-  
cut⁹ est nobis in filio, quē cōstituit heredē vniuersorū, p. quē & sæcula  
fecit. hoc in loco patrē filij cognouit, & patrē filij cognoscens, nō par-  
tit̄ rē. nō tacet de antiquis, nō adscribit alios Prophetas, sed Deū Pro-  
phetarū, & patrē filij. Paulus non partit⁹ est, neq; diuisit; immo totū  
predicat, illū q. dē à Prophetis adoratum, hunc vero partū editū, atq;  
huius q. dē patrē, q. illos habuit adoratores, & sibi supplices. cui enim  
supplices sunt illi Prophetæ, hui⁹ fili⁹ est Christ⁹. Si autē filiū honoras,  
eos verò, q. patri supplicant, accusas, & conuictis insectaris, ore effers  
quæ vis, succenset filius, nō patit̄ cōtumelia patrem affici. Si enim pa-  
ter filij in honorationem suam ducit, quāto magis filius contumeli-  
am patris vilitatē suam esse reputabit?

Sed vt sensim pergentes, paulatim ad erubescendū cōpellamus, sic  
aggrediemur argumētari: Si Dei est lex, quare legē nō tenēt? Sin verò  
legē criminari, cuius verba, ac vox lex est? cuius potestate, quæ scripta  
sunt, locuta est lex? Hic partit̄ sūt hereses; nec iā vno modo sermoci-  
nā, sed sibi repugnātes. ac Valentiniani q. dē sic; Manichæi verò aliter.  
secus Marcion. Spūta nō verba testimoniū sunt contra legē. Valenti-  
niani q. dē, iustus, inquiunt, erat Deus legis, & cū iustus esset, non erat  
pater filij. Iesus, inquiunt, bon⁹, bonus autē & pater, ac pater q. dē bo-  
nus, & bonū, q. genitū est; Deus verò legis iustus. taliter differētes nō  
intellexerūt, qualē habitudinē habeat iustū ad bonū; neq; de eo cogi-  
tauerūt. cū autē huiusmodi cogitationes cōcipere nō potuerint, hoc  
solutū eos interrogemus: Si iust⁹ est Deus legis, & nō est pater filij, nō est  
iust⁹ Iesus, quomodo iustitiā à filio req̄rim⁹, si non est genitus à iusto?  
Quomodo iudicat? Quomodo iudicio decernit? Quomodo cōmil-  
sum est ei à patre tribunal? Quomodo vnicuiq; reddit secundum o-  
pera sua? quomodo verum est quod ait Paulus, his qui secundum pa-  
tientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem qua-  
runt, vitam æternam; iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non

acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum? soluta enim sunt & euauerunt hæc verba, si definitio iusti non accommodatur, & redditur filio. Si autem iis, qui deliquerunt, constitutum est supplicium, & iustus qui præest, supplicium metitur, contra vero honores, & munera seruantur bene meritis, & honor delectu, ac diiudicatione iusti ponderatur, quomodo non discindunt, & comprimunt petulentiam? Si autem talis quidem est vnigenitus, pater vero non est talis, non iam ex simili simili genitus est. non iam est imago eius, qui genuit; non figura, non splendor. non iam qui videt filium, videt patrem, si non quæcumque habet filius, habet pater. & clamat saluator in euangelio: O pater iuste, mundus te non nouit, ego vero te noui. Quid agemus? terga demus verbo saluatoris, ne credamus scripto; aut habeamus in admiratione verbum, est enim verbum veritatis. Valentinus vero tanquam insanientes, & à dæmone actos extra conuentus, ac confessus sanctos, & Deum decentes collocabimus.

Sed quia aliquid indecorum nobis accidit, dum sermonem contra istos hæreticos longe protrahimus, cum nos negotium susceptum non eo trahat, reuocemus sermonem, & ad propositum, & institutum pergamus. His hætenus vtiliter consideratis. vt sermo de istis non omnino nobis præteritus sit. Tripartita enim nequitia contra legem locuta est, totidem ministris, & præfectis blasphemæ vsa, Valentino quidem ad minuendam, & extenuandam legem, & separandum euangelium; Marcione vero ad tradendum esse scripturam legis abortionem quandam; Manichæo autem ad mentiendum, esse legem cuiusdam mali, splendore carentis, & ex toto tenebricosi. talia enim agit, talia verba componit, vana loquitur; aures rudes & inexercitatas compositione verborum in admirationem traducens.

Quamobrem percontari oportet, si malus ille sine splendore, & totus, & ex toto tenebra, legem scripsit, quomodo non cognouit aduentum filij? quomodo eum adesse? Quomodo ante euentum rerum intellexit quæ Deus consilia ceperat, & prænucciavit ea, & prædixit? manifestæ enim sunt scripturæ legis, quæ à principio aduentum filij testantur. Si enim dicent contra ea, quæ in manifesto sunt, loquentes, non prænucciassent legem, neque Prophetas prænucciassent, redarguentur non à nobis nostris cōfutationibus, sed ab ipsis euangeliiis apertis verbis, cum vbique clamant, nunc quidem, vt impleatur

pletur quod dictum est per Esaiam Prophetam, nunc verò non veni solvere legem, sed implere. Si vero ex his conuicti, consentiunt, quid ad hoc respondebunt? si enim nemo nouit, quæ sunt hominis, nisi spiritus Dei, qui autem legem scripsit, nouit quæ erant in Deo, & sciebat, quæcunq; Deus volebat, & idcirco scripsit accuratè, & scienter, erat igitur ex Deo, & Deus, & in Deo. & ideo quæcunq; volebat Deus, locutus est, sciens quæ in Deo erant, & non ignorans. Si autem nemo cor nostrum nouit, sed solus nouit, qui eum fecit, & laetor cor nostrum alios, non potest tamen latere Deum. quæ autem volebat Deus, non ignorabat nequitia, sed sciebat, & hic quidem volebat, illa vero cognoscebat: quomodo non tribuunt nequitia magnam amplitudinem, quam non potuit calare Deus de consiliis, & voluntate sua? Quomodo non detrahunt Deo, qui non potuit calare nequitiam? ac ridemus quidem viros, qui cum aliquid contra hostes moliantur, & machinantur, consilium excogitatum in apertum efferunt.

Qui talia loquuntur, & huiusmodi sermonem ferunt, non vident facere se, vt ludibrio sit Deus, qui cum militet tanquam dux exercitus aduersus nequitiam, consilia sua non occulte seruauerit, ne nequitia patefierent. Quod si diuinæ & angelicæ potestates non possunt intelligere, quid consilii capiat pater, solusque filius intelligit, & enarrat, Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarravit: quomodo malæ potestates ea, quæ in Deo erant, cognouerunt, cum neq; diuinæ potestates hæc scire possint, nisi ea tradente, & enarrante vnigenito discant? Quod autem ipsa lex omnia, quæ ad aduentum eius pertinent, prius narret, Ecce, inquit, virgo in vtero habebit, & pariet filium. alius propheta non ignorat locum, & tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. alius locum definit, vbi positus, cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. alius fugam in Ægyptum, & reditum ex Ægypto. Ex Ægypto vocaui filium meum.

Alius habitationem in ætate puerili. Terra Zabulon & terra Nephthalim viam maris vltra Jordanem populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. alius etiam præcursorem non ignorat. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Deniq; si quis vellet Prophetias ex lege colligere, totum euangelium componere videretur conscribendis rebus in eo gestis Propheticeis verbis, narrans studiosè, & φιλολόγως non sine spiritu eius disci-  
 R plinas

plinas, eius doctrinas, eius baptismata, eius miracula, iudicium factum, perditionem iuda, quae in patibulo facta, fel, acetum in situ porrectum, ipsam sepulturam, & monumentum, descensum ad inferos, ipsam resurrectionem, & ad extremum assumptionem, tunc enim, quae superest, clamabit; Tollite portas principes vestras, & eleuamini portae aeternales, & introibit Rex gloriae; tunc adiunget hoc, quod a Dauid scriptum est: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si igitur Lex a Deo diligenter aduentum filij descripsit, & longinquo tempore antequam res euenirent, eas praenunciavit, non iam accusatur; non iam alteri adscribitur. Qui genuit, praedixit. Qui deliberavit, res dicto anticipavit. Deus genuit. Deus dicit: filius meus es tu, ego hodie genui te. Deus misit me. Deus per Moysen locutus est: Prophetam nobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris; ipsum audietis, quaecumque loquetur vobis. de iis ipsis omnibus Deus deliberavit; & cum deliberasset, non tacuit, consilium, ac deliberationem praenunciavit, per praenunciata fidem faciens. vocatur, inquit, nomen eius, magni consilij angelus, admirabilis consiliarius, princeps pacis, pater futuri saeculi. atque haec quidem confutatio sic habet.

Quia vero legem attribuunt malo, quid dicturi sunt, si quis eos percunctetur, si malus mala suadet; & non potest non suadere mala, si quandoque bona suadebit, etiam bona consilia dabit? si enim dicat, aptum esse natura ad suadendum bona, ad dandum bona consilia, rursus definitionem suam soluant. non enim iam malus est, qui bona dat consilia. Sin autem nulla bona voluntas, ac deliberatio a malo proficiscitur, cuius ordinis dicet esse illas suasiones, ac monitiones; Non fornicaberis; Non adulterabis; Non furtum facies; Non falsum testimonium dices. cuius ordinis dicent esse illud, quod scriptum est; Non facies tibi idola, nec vllius similitudinem, neque quaecumque in caelo, neque quaecumque in terra, neque quaecumque in aquis; cuius partis esse illa dicturi sunt; Non concupisces bouem fratris tui, aut subiugale, aut uxorem, aut omne iumentum? Si enim haec honesta, & diuina, atque amabilia esse dixerint, ipsae monitiones efficiant, ut se ipsi erubescant, qui amplitudinem eius, qui monuit, ignorauerunt. Sin vero dixerint praua esse haec, & in crimine, & prauum est non scortari, & prauum, ac vitiosum est non concupiscere aliena, & huiusmodi sunt, quae mala sunt, aduerte, qualia bona esse intelligunt. & quomodo prostitute sunt voluntatum, & conciliatores idolorum, ac turpium cupiditatum inuentiones. Qui enim legem accusant, pro vitio a lege alieno obeunt legationem. Qui

ἵππερ δὲ  
μίσος.

Qui legem, quæ voluptates tollit, quæ fallaciam euertit, quæ superstitionem extinguit, relegant, quid aliud faciunt, quam voluptates domum introducunt; & cupiditates accerunt? ut autem voluptas licenter in mentes irrumpat, legem ex habitationibus eiecerunt, ne lege vsi, à lege pudore afficerentur. Sed quomodo lege eiecta aures suas venales præbent cupiditatibus. apparet lex esse interfectrix nequitia. hi autem indocte, & inerudite aggressi sunt accusare legem. ac lex quidem nequitiam odit, hi verò legem oderunt. euertit quidem superstitionem lex, hi verò audent legem euertere. opponamus igitur res. Si lex nequitia contraria est, hi autem legem oppugnant, succensent propter nequitiam, quia lex nequitiam criminatur. etenim quia non patiuntur, ut accusetur nequitia, idcirco legem ipsi accusauerunt, ut accusatio nequitia nullas vires haberet lege in crimen vocata. Si Lex idola tollit, & multitudinem deorum soluit, hi autem tela in legem torserunt, consentaneum erat, ut multitudinem deorum denunciarent. ut igitur multitudo deorum confirmaretur, legis præceptum apud eos vetitum est, quod ait: Audi Israel, Dominus Deus tuus Dominus vnus est, & diliges Dominum Deum tuum. & ne forte aspiciens in cælum, & videns solem, & lunam, & stellas, adores ea. Contra hæc verba tela lecerunt; contra hæc præcepta exasperati linguam tanquam gladium acuerunt. idcirco à dæmonibus aguntur; & omnia venerantur, nec aliud sciunt, quam omnia adorare. ac semper se humili sternunt, & mentem habeat elatam; errantq; ac vagantur sensu animi. omnia pro sua licentia verterunt in deos. vicerunt Gentiles & multitudine, & vanitate, Gentiles ex Gentilibus oriundi, & magnitudine flagitij Gentilium ignorantias illorum superantes.

Ne quis autem arte fallacissima studiosè & accurate vsus dicat, Simulauit lex, & quædam pulchra furata, tanquam sua protulit, cum vellet sua flagitia honestare, & partes honestatis inseruit studio obtegendi turpitudinem aliarum partium. Age excutiamus primò, vtrum aliquid absurdum, & flagitiosum apud Legem appareat. atq; ita flagitium istorum redarguatur. Secundo, si quasdam partes vitij vltiscendo dissipauit, reddens eos, qui credebant liberos ab omni parte vitij, non iam lex simulata apparebit, quin potius inimica, & hostis vitij, & nequitia. Tertio, si quædam honesta circumseminauit, & nõ omnem speciem virtutis cum littera legis coniunxit, ut quædam videatur scripsisse, plura verò reliquisse, habeat vim aliquam refutationis legis.

παρρησια  
 ψωμστα.

legis. Sin vero vniuersa, quæ honesta, & decora sunt, omnino in litteris legis posita sunt, admitemur legem, & Dei legem confiteamur, dicamusq; sermonem Dei esse. in hos vero accusationem à lege transferamus, quorum sententia adulterina, & deprauata est. Quod igitur nullam partem vitij lex habet infeminatam, neq; partem abstulit aliam, & alij pepercit, sed potius pura est lex, & sancta, & Dei lex; Paulus clamat: lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. & scimus enim, quod lex spiritalis est. quod enim sanctum est, & spirituale, & bonum, ab omni turpitudine liberatum est, & nulla culpa in eo hæret, gloriaturq; virtutibus, & cum Deo loquitur. Sermocinatio enim cum Deo non patitur, vt alterius ordinis sit. Sed gubernatione Spiritus sancti temperatur. Deus enim spiritus est; & qui cum adorant, in spiritu, & veritate oportet adorare. Lex autem cum spiritalis sit, sermocinationem cum Deo parat. etsi potest spiritalis alia quidem iudicare, ipse autem à nemine iudicatur, quantum magis lex spiritalis potest quidem aliorum omnium sermones iudicare, ipsa vero à nemine iudicabitur.

Quod autem omnem speciem vitij sustulit, & nullam partem prætermisit, aut neglexit, sed potius omne genus vitij vindicauit, tollens & excindens illud, constat ex legibus ac regulis de vitio constitutis, cuius sunt species quatuor, imprudentia, intemperantia, timiditas, & iniustitia. siquid autem prauis legibus reuicisset, imperfecta esset lex. Sin vero vt omnes species nequitie præcideret, eas vindicauit, & retractauit, sequitur vitium à lege coerceri, & reprimi, quæ neque reliquias eius patitur. Vbi igitur valet, & viget lex, & suasioni nervos adhibet; ibi neq; humor vitij reperitur. vbi autem debilitatur, obambulat nequitia compilans, & depascens, licenter gradiens, & licentiam nata propter custodiam animæ neglectam. Clamat enim lex: Si populus meus audisset me, Israel in viis meis si ambulasset, pro nihilo inimicos eius humiliassem. Cum enim lex persuadet, nervos amittunt vitia humi iacentia, quæ nec animam ex aduerso intueri possunt. Si enim lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis, omnis offensio sublata est, illuminato corde & splendente. etsi enim quis ætate illa adolescentiæ lubrica sit, custodiam tamen verborum conseruet perseverans erectus, clamabit, In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. David comparatis sibi viribus ad non labendum, abdendo in mente disciplinas legis aiebat; In corde meo abscondi cloquia tua, vt non peccem tibi.

Atq;

Atq; ita qui legem pro custode adhibuerit, intelliget, quomodo  
 dolex singulas species vitij abigit, & eiicit. imprudentiam quidem  
 per scripturam, quæ ait, Nolite fieri sicut equus & mulus, quib' non  
 est intellectus. timiditatem verò per scripturam, quæ dicit, Ne timue-  
 ris, cum dives factus fuerit homo, ne timeas probrum hominum, &  
 vituperatione eorum ne vincaris. & time Deum, & valebis, præteri-  
 tore imposito ac fortitudine immissa lex clamat, iustus tanquam leo  
 confidit, qui non timet, neq; horret iumentum. duabus partibus vi-  
 tij sublatis imprudentia, & timiditate simul tollit intemperantiam,  
 iniquis; non fornicaberis, non mæchaberis. vbi cohibentur per-  
 turbationes, frænum temperantiæ in mente reperitur. ac tribus ex-  
 tinctis, extinguit etiam iniustitiam: Non facies tibi pondera parua, &  
 magna; pondera iusta & æqualia sint tibi.

Atq; ita singulis partibus nequitia deletis soluta est nequitia,  
 quæ non potest amplius obambulare in mente. Quas igitur vitij spe-  
 cies non sustulit lex? quas partes voluptatis non destruxit? quas ti-  
 miditates, quas imprudentias non vsq; adeo vindicauit tollens vo-  
 luptatem, vt etiam curam oculorum habuerit; auditioni non peper-  
 cerit, & linguam non neglexerit? posui enim oculis meis custodi-  
 am, & non intelligam super virginem. Sanctus vsq; ad curam oculo-  
 rum procedito, ne voluptas animam titillans, eam ad concupiscen-  
 dum adducat. alius sanctus clamabat, ne circumspicias pulchritudi-  
 nem alienam, ne voluptas cum vestibulum animæ ceperit, spem in-  
 gressus concipiat, quin immo à ianuis repulsa insidias suas desperet.  
 progrediens autem ad aures, & ad linguas, vigiles, & custodes mem-  
 bris præfecit, non cedens loco suo; quin potius clamat, Pone Do-  
 mine custodiam ori meo, ne sermo turpis sine utilitate emissus in vi-  
 tamentum voluptatis turpia loquenti adiungat. Habens præterea  
 curam liborum, præcauit, ne mens huc & illuc agitata vineta esset.  
 præcepit enim: Sic comedetis pascha, lumbi vestri erunt præincti, ne  
 si membra habeant discincta, facili motu prehendere possimus; rur-  
 sus verò in sic præinctis optimum ordinem ad res gerendas, & ad  
 negocia reperiamus.

Ad hunc modum partibus voluptatis sublatis, in species vi-  
 tiorum partis ratione prædita & in species iniustitia inualit. si enim  
 tollere, quæ sunt alterius, & per vim tollere, & inuito domino, iniu-  
 stitia est, & tollentem, quæ aliena sunt, dare ea meretricibus, vel lu-  
 xurio-

luxuriosè consumere, species iniustitiæ est, iniustus est, qui honorem Deo eripiens, lignis & demōnibus eum adhibet; & honore Dei consumit, & in mente luxuriosus est. nec enim ita luxuriosè viuit, qui opes consumit, vt est iniustus, qui magnas & affluentes diuitias honoris Dei ex animo delet, quamdiu enim diuitiæ cognitionis Dei in animo permanent, respondet in ea charitas erga Deū. cum autem oēs diuitiæ dilapsæ, & cōsumptæ sunt, & ad inopiā redacta est anima, relinquatur tunc, vt honorem Dei lignis, & aru pictoris, & sculptoris deferat. Vnde Apostolus, cum sciret ipsam iniustitiam esse culturam falsæ religionis, dixit & auaritiā, quæ est idolorum seruitus.

Ergo quia terribilissima pars iniustitiæ est ignorantia in Deum, leuius autem est delictum in homines, & in partes duas diuiditur iniustitia, in ignorantiam in Deum, & in delictum in homines, ab vtrisque principium sumpsit lex scripta. ac primum quidem clamat; Non facies tibi idoli vllius similitudinem, ne scilicet in honorem eius, qui te fecit, luxuriosus sis, totum honorem Dei funditus labefacias. iratus est autem populo iustè, cum factō vitulo clamabat; Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt ex terra Ægypti. etenim quia dona Dei illi assignabant & attribuebant, qui mouere se nō poterat, eratque flagitiosissima iniustitia diuitias beneficiorum sui auctoris arti & sculpturæ attribuere. idcirco veritas excitata, & lex scripta, & iniustitia vetita est; & qui discebat, erudiebatur. atque ita sublata prius iniustitia, quæ iram Dei prouocauit: iniustitiā quoque in hominem sustulit.

Ac primum quidem noluit, vt amor diuitiarum in anima insideret, quoniam amor diuitiarum parit iniustitias, & cupiditas habendi diuitias generat auaritiā. radix enim malorum est cupiditas diuitiarum, erunt autem rami, & surculi cupiditatis pecuniarum iniustitia, & auaritia. & quoniam à cupiditate pecuniarum incipit auaritia & iniustitia, præoccupat Lex, prius tollit, prius; denunciat, diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. ne diuitiæ mentē cum fluxu diuitiarum confluentem fluxis diuitiis capiant. Si enim opes fluunt, & nō stant, meritò resistit mens, quæ statum suum fluxis diuitiis nō violat, & quia tum auaritia molesta est, tum cupiditas gloriæ, cui<sup>9</sup> flos in anima prædatur, erudit, inquiens; Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani: transiui, & ecce non erat. vt mens nulli gloriæ quamlibet magne facile flaccescenti magnitudinem suam illecta vendat, quin potius supra hæc omnia se erigens amore veritatis teneatur. idcirco moderationem honorat, & iniustitiam expellit, & diuina



diuina loca ad habitandum rependit & assignat iis, qui modestiam seruauerunt. συμμε-  
τησιω.

Sic autem clamat; Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, vt omni specie auaritiæ relegata locum iniustitiæ non relinquat: atq; ita omnem speciem iniustitiæ sustulit lex. idcirco qui secundum legem loquitur, pro veritate loquitur. idcirco qui sunt operarij veritatis, non excandescunt, cum lex aduersus vitium loquitur. loquebatur aliquando Dominus aduersus auaritiam, exasperabantur Iudæi, & molestè ferebant. amor enim diuitiarum asperos, & duros eos aduersus loquentem efficiebat. ita profecto est, cum pædagogus cum puero ignauro, & pigro differit: odio habetur ab eo, quem instruit. Omnis enim qui motus adolescentiæ à ratione auersos excindit, in odio est propter amorem voluptatum. ob hanc causam Lex in odium venit hæreticis. Quia contra perturbationes tendebat, contra peccata ambulabat; contra adamata discebat, rem æquo animo non tulerunt.

Vt autem sermo, & disputatio nostra amplissima sit, & seclis hæretis, quæ iniustè ad legem vituperandam se contulit, appareat, non solum quòd omnes species, & formas virij sustulit, dicamus, sed reddamus insuper sermonem, quod omnem speciem virtutis lex enarrat, & exponit. Si enim omnia vitia lex sustulisset, non autem omnes virtutes inseruisset, manca esset lex relicta virtutum exstrukione, quæ quidem omnia vitia cum relegasset, non iam omnes virtutes animæ despondisset. Sin verò in disputatione nostra apparent, apud legem & Prophetas omnes virtutes positæ, an non oportet legem Dei admirari, & amplecti? Cum enim sint quatuor virtutes prudentia, temperantia, fortitudo, & iustitia, omnes virtutes apud legem cernuntur. vnde qui vult esse temperatus, habet in lege disciplinas. Qui studet, vt sit prudens, adhibitis subsidijs legis, præclarè se in rebus geret. Qui vult esse fortis, instruat se præceptis legis. Qui vult iustitiam assequi, pondus iustitiæ teneat, & nihil in æquale faciet, faciens omnia ad perpendicularum iustitiæ. & qui factus est particeps prudentiæ, dicat, Dominus docuit me sapientiam, & prudentia hominis non est in me, vt hæc ficta & errante eiecta, & repudiata, optimam, & diuinam amplectatur.

Pudiciæ verò exempla infinita reperiet, qui legendo quæret, vt exempla pudiciæ exprimat, & antiqua exempla ad firmamentum,

ICOM...  
SIV  
27

rum, & robur castitatis complectatur, ut illius adolescentis in ipso flore ætatis, qui fuit à fratribus venditus & ab Ægyptio emptus, qui libertatem corporis mutavit, libertatem verò animæ immutabilem conseruauit; qui exiit pallium, ne pudicitia exueretur, cui vis quidem pallium abstulit, necessitas verò non eripuit castitatem: qui maluit affligi, quam in morbum voluptatis incidere, maluit esse in vinculis, quam capi voluptate, qui inuidiam turpi actioni præposuit; qui existimari, & non esse voluit, melius enim iudicauit, haberi turpis, quam esse, & latere, si enim esset, & lateret, metuebat testem Deum. Sin verò haberetur, contentus erat teste facta inspectante, atque pudicitia quidem hoc sit exemplum.

Fortitudinis verò multa quidem sunt alia, satis verò nunc sit illud Iudith, quæ muliercula erat, & infirma erat, & non audax erat, quia muliercula erat, audax tamen fuit, & fortis, quia credibile ei fuit, quæ expectatione hominum fieri non possunt, posse fortitudine, quæ cum fide mista, ac temperata, ad fidem & spem adduxit insperata. muri enim aperti sunt, & exiit adolescentula, & cū sola ancilla exiit non formidans, quod erat in pulchritudine suspectum, non metuens gladios, non timens, ne in libidine esset, ne vis inferretur pudicitia, non formidans, ne quid repentinum ex gladio accideret, quin potius terrorem gladij fortitudine vincens, formositatem verò Deo commendans. Deum enim custodem pulchritudinis dignum, cui fideret, existimabat esse, gladios verò sarmenta, & papyrū ducebat, animi fortitudine formidinem superans; transiit mulier, & non est iudicatum temerarium, quod ausa est, non fuit in ea criminatio duritiæ, nec enim imperfecta fuerunt, quæ fuerant iudicata, & decreta, ut duritia accusetur, perfecit ea, de quibus deliberatum fuerat ad finem perducta sunt considerata. Idcirco in admiratione est, quia prudentiam fortitudini admiscuit, quia omne consilium cœptum ad exitum perduxit.

Hoc fortitudinis exemplo sumpto, iustitiæ etiam exemplum sumamus. Cum Abrahæ iniuria affectos viciscens pro eis pugnavit, & eum post auxilium allatum audiret à liberatis, Accipe tibi equitatum, & omnia, non in quæstum aspexit, sed iustitiam attendit, quomodo conscius se gratis cepisse, non debebat vendere donum, quia gratia non patitur, ut venundetur, si quidem iniusti sunt, qui dona vendunt, & non iuste quis venalia, & beneficia venundat, vestis, & res preciosa vendatur in foro, beneficium vero, ne habeatur vendibile,

*Duritia, n. supori similia patientiam imitatur.*

bile, quod magno animo gratis indigenti dari debet, tale exemplum habemus; dona, & beneficia non oportere multa pecunia vendere, sed seruare quemque honorem suum, & non prius pecunia corrumpi.

Atq; hæc quidem hæctenus persecuti, probauimus vtrumq; esse in lege, & vitij extirpationem, & virtutis officium, atq; exercitationem. atq; hæc quidem satis esse, vt se isti erubescant. Aliquid simile reddimus in Euangelio, & lege. Si enim essent Euangelia, & esset lex, & nihil lex haberet æquale Euangelio, crimini daretur dissimilitudo. Sin autem similitudo est, quid de similitudine contendimus? cum similitudo non patiatur, vt controuersa sit. Proclamat cognationem stylus, similitudo germanitatem significat. ad vnam causam aliorum omnium, patrem autem saluatoris lex, & euangelia ducunt mentem. Lex dixit: audi Israel, Dominus Deus tuus Dominus vnus est. Dixit euangelium: Nemo bonus nisi vnus Deus; clamauit Apostolus Paulus: Vnus Deus, ex quo omnia, ex lege, & ex saluatore, atq; ex Paulo cognitus est ingenus, & sine patre, genitus verò ex sinu, & filius eius, qui genuit. Rursus hic scripturæ consentiunt: Lex ait: Ex vtero ante luciferum genui te; euangelium verò, Vnigenitus, qui est in sinu patris, ille enarrauit. Sinum dicit euangelium, & vterum lex. & filius legitimus similis ei, qui ex vtero & sinu genuit, denunciatur. ac testimonium quidē perhibet vox euangelij: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. testatur etiam Dauid in Psalmo: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vna vox & tunc, & nunc missa est. & vnus, qui milit, locutus quidem tunc est, nunc autem nobiscum sermocinatus, non mutatur, qui tunc locutus est. Qui enim serò tandem hanc vocem misit, iam ante in Psalmis eam prænucciasse reperitur, fuitque facta denunciatio sanctis angelis, vt in seruirent filio, & religionem venerationis, atque adorationem ei adhiberent. scriptum est enim: & adorent eum omnes angeli Dei. assipulatus est huic denunciationi Paulus. immò hanc retractat, & interpretatur; studetq;, vt sit interpretus eius, quod prius dictum, & prius scriptum est. cum enim, inquit; Introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes angeli Dei. Videbisq; Apostolum studuisse, vt vetera interpretaretur, & non neglexisse legis explanationem. aliquando enim dicit, omnia subiecit sub pedibus eius, & statim enarrat inquiens, cum autē dicat, omnia subiecta sunt ei; sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia, nihil reliquit non subie-

S

subie-

subiectum illi, ut sit Deus omnia in omnib<sup>9</sup>. quandoq; dicit: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, Sacramentū hoc magnum est, ego autem dico in Christum & in Ecclesiam.

Atq; Apostoli quidem interpretes sunt veteris legis; consono-  
nantq; vetera nouis. at verò, qui sunt non Apostoli, accusant vetera,  
qui quidem cum non faciunt, quod Apostoli, sed potius cum eorum  
scripto pugnant, mentiuntur Apostolatū, facti Pseudopropheta.  
explanatores enim veritatis, qui legem honorauerunt, iidem legem  
exposuerunt. Hi verò qui legem criminati sunt, legem ferunt, & eos,  
qui legem explanauerunt, pungunt. Parem similitudinem euangelij  
atq; legis cognoscunt Apostoli. qui cum legem sumunt, euangelium  
aspiciunt; cum euangelium aspiciunt, legem non tollunt. illi verò  
dum, quæ sunt similia, semper dissimilia esse putāt, & quæ sibi inter se  
amica & germana, inimica, & aduersaria esse profitentur, nō quidem  
effugiunt, quin malitia eorum conuicta sit: disungere verò, & diri-  
mere similia dum student, neq; tamen possunt. siquidem lex ab eu-  
angelio diuidi non potest, inuidiæ suæ fructum perceperunt obiur-  
gationem. Quæcunq; enim de patre in lege scripta sunt, hæc etiam  
sunt in Euangelis: quæcunq; de filio, hæc in vtrisque; quæ de Spiritu  
sancto, hæc quoq; in ambobus reperire poterimus, neutra enim scri-  
ptura non meminit de Spiritu sancto. immo in euangelio est donum,  
ibi est petitio. & aliquando dicit David: Spirituum sanctum ne auferas  
à me. interdum dicit euangelium: Accipite spiritum sanctum ut  
quod quidem habet David ne auferatur ei rogat: quod verò hic do-  
nat, id cum ille acceperit, habeat. familiaritate etiam Spiritus S. ani-  
mæ honorantur, nec à familiaritate eius auulsæ, neq; sine eius familia-  
ritate permanentes.

*Quomodo  
de dando  
& accipi-  
endo Spiri-  
tu. S. con-  
sonant ve-  
tus & no-  
ua scriptu-  
ra,*

Ad eundem modum poterit quis elaborando, de angelis, & ar-  
changelis, & aliis potestatibus, & de cælo, ac terra, aliisque creaturis si-  
militudinem legis & euangelij, contemplari. atque ita inuestigando  
vsq; ad minimum deuenire. nos verò tantam molem recusantes, &  
principio tantum vsi, prouocantesq; studiosos, ut suscepto ad tra-  
ctandum argumento ad omnia theoremata procedant, id solum  
ad librum adiungemus, quod hæretici cum quadam reprehensione  
accusant, ut eorum accusationem dissoluamus, & legis dispositio-  
nes perspiciamus. Si enim illi legentes, quæ contra scripturam obici-  
unt, ore contumelioso vsi sunt: at nos amentiam similitudine redar-  
guemus, & quæ in crimine obiciunt, apponere non dubitabimus.

Accu-

Accusant enim veterem legem tanquam acerbam, & crudelē; accusant præterea veteres ministros tanquam austeriores, & magis ad oburgationem propensos, & ab affectione misericordiæ alienos, non intelligentes, quod scriptum est: Misericordiā, & iudicium cantabo tibi Dñe, neq; scientes, perfectionem ratione gubernationis ex misericordiā, & vindicatione pendere. idcirco cæcati, miserationes legis tacent; & vindicationum potius meminerunt, & ubiq; clamant: Non videtis, quia pueri parui conuitium fecerunt Elifæo, maledixit eis, & duobus vrsis tradidit pueros ad deuorandum? Non videtis, quia quibusdam militibus missis à rege ad vocandum Eliam inuitis, noluit ire cum eis, ignem iaculatus est, & viros consumpsit, inquit, Si vir Dei ego sum, descendet de celo ignis, & deuorabit te, & quinquaginta tuos? Si huius mali accusationes, & vindictas inter vitiosa & praua referūt, quid dicturi sunt de Paulo, q. cū videret aliquando Bar ieu magum, qui erat cum Sergio Paulo proconsole, differentem, & artificiosa machinatione orationis mentem eorum, qui veritatem didicerant, deprauantem, non est passus, increpauit, puniuit, priuauit oculis, clamauit, O plene dolo, & omni fallacia, fili diaboli, non desinis subuertere vias Domini rectas? & nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns solem vsque ad tempus.

Quid de Petro dicent, quando Ananias, & Sapphira vendita possessiuncula partem pretij sibi auerterunt, partem attulerunt? cum Ananiam iudicatum, & mendacij conuictū morte affecit, Sapphiram autem eidem sepulchro tradidit? iacebant enim mortui, verbo interfecti. Illic ignis allatus consumpsit ad Eliam profectos; hic verbum emissum in conspectu discipulorum efficit, vt q. fidem cauponati erant, morentur. illic Elifæus corpora puerorum bestiis dedit; hic Paulus aspectum oculorum ademit, & eū, qui videbat, cæcauit, & qui talia patrauerunt, pœnas dederunt. Si igitur pœna ac vindicta in malis numeratur, mali sunt Paulus, & Petrus: sin autem boni sunt, quia Apostoli sunt, boni sunt, quia pœnas exegerunt. Quid pœnas accusas, idq; Apostolis irrogatione pœnarum vsis? quod si Apostolos quidem approbamus, pœnas verò improbamus, non decernunt, vel ius dicunt leges secundum personam de factis; non disceptant contra personas, sed astipulantur similitudini factorum.

Sed rursus aiunt; Misericors est filius, misericors, qui euangelia scripsit, & qui misericors est, fili' est misericordis. Lex verò dura, & aspera est non parcens delinquentibus. misericordiam autem continet euangelium, quod delicta quidem coercet, pœnitentias verò predicat. Ecce, dicent, Petrus negauit, & saluator pepercit. & eum, qui tam graue peccatum commiserat, dissimulat, & minas clemētiæ subiecit, vt esset omnibus per vniuersam vitam exemplum, & imago clemētiæ Saluatoris. Quid igitur lex? an caret imitatione exempli, & non habet imaginem parem, & huic respondentem? ac Petrus quidem studio virtutis deditus, & lapsus, venia, & condonatione honoratus est: in lege autem nemo post peccatum & quidem magnum veniam sibi per pœnitentiam conciliauit? Si enim ignorant, recitabimus quod scriptum est: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinē miserationum tuarum delinquentiam meam, & à peccato meo munda me. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Si autem non ignorant, sed sciunt, silentium tenent in malo sermone.

Cognate igitur & germanæ sunt res, similes imagines. atq; hic quidem Petrus, illic verò Dauid, vt magnorum virorum lapsus magna etiam venia curentur; & iis, qui grauiter deliquerunt, magna etiam misericordia tributa sit. Si igitur admirantur euangelia, quia Petrus misericordiam consecutus est, admirentur etiam legem, quia & Dauid misericordiam adeptus est. Si autem legem accusant, quia post tanta delicta non est Dauid data venia: neque Petrus opinione eorum querelam, & accusationem effugiet. & videbitur quidem contra solum Dauid facta accusatio; sed re ipsa eadem accusatione accusabitur Petrus. Si autem dixerint, bonam quidem esse veniam, sed veniam veteris legis vsq; ad vnum pertigisse, in euangelio autem multam esse veniam, & pelagus condonationis. & clamat ibi Saluator: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. legant vetera, & subeat admiratio eorum, quæ scripta sunt.

Si autem propter defuetudinem exercitationis nolunt legere scripta, etiam hic desinant accusare. Saluator dicit: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, neminem prætermisit, neminem reliquit, omnes complexus est. Dauid verò ait: Omnes gentes plaudite manibus. & rursus, Auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quiq; terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues, & pauper. omnes in Euangelio excitati sunt; omnes in lege.

lege neminem reliquit euangelium; neminem lex omisit. clamauit euangelium, agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum, omnibus dimisit hanc fermocinationem; cum delinquentibus loquebatur, cum lapsis sermonem habebat. cum iis, qui iam erant rei mortis, loquebatur, libertatem per prædicationem præconculiabat.

Profectus est Ionas Niniuem, quæ erat ciuitas non parua & magna gentium frequentia habitata. edidit comminationem, non reticuit pœnam, clamauit, perterruit sermone. vidit viros, ad mutationem vitæ impulit, fecit, vt peccatum repudiarent. prænunciata cõminatio abiit, successit misericordia. factum est, q̄ vt fieret, curabatur. non enim interitus quærebatur, sed mutatio morum indagabatur. postquam factum est hoc, & viri mutati sunt, apparuit donum Dei, clamauit iudex patrocinium suscipiens, dixit ministro suo: Si tu tristatus es pro cucurbita, pro qua non laborasti, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perit, ego verò non parcam pro Niniue ciuitate magna, in qua habitant plusquam centum viginti millia hominum, & multa iumenta? & pepercit Deus, qui nunc quidem hæc dixit; in alio autem Propheta clamauit, inquiens: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat, qui abiit, qui sciunt laudes eius canere, in laudibus vocatur miserator, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ. tam ingens. n. pelagus miserationum apud Deum est, vt minimã, & breuissimam etiam flagitiosissimorum ad pœnitentiam inclinationẽ non relinquat inhonoratã. Achab enim ferme ad extremũ nequitix processerat, & cũ paulum compunctus esset, honorauit eum Deus, & rem ministro ostendit, & minas represent, ac cohibuit, protrahens interim tempus supplicij, Vides, inquit, quomodo compunctus est Achab? non inducam mala in diebus eius, sed in aliis diebus, idq; vt minimam asperisionem pœnitentiæ decenti honore Deus honoraret.

Sed hæc hæctenus, ne disputatio de lege omnino præteriretur non tractata & excussa. Hoc solum addemus, fuisse legem vmbra futurorum honorum, pædagogum verò adiuuare puerum, & etatem pueritiæ, quousq; magister suscepta grandiore ei habitudine, maioribus disciplinis eum tradat. commodius enim & aptius hoc principio tanquam fundamento iactõ, poterit quis confirmare, quomodo lex per Moysen data, gratia verò & veritas à Christo facta sit. nos autem alias argumentationes abortionis istius attingamus, proposita

alia huius opinione in scripturis absfona, & absurda, vt ea excussa & euoluta, quoad fieri potest, mentes illaqueatas ex opinione a mente eripere possimus.

Porrexit enim se vsq; ad fabricam mundi, & hoc, q; cernitur creatum, à diabolo creatum esse vult. esseq; hominem à diabolo formatum. atq; animam quidem à Deo, esse tamen corpori à diabolo aptatam, & factum hominem, qui substantiam quidem corporis, ex substantia diaboli acceperit, substantiam verò animæ tanquam spoliū & exuias ex Deo sumplerit. vt anima quidem sumpta sit ex Deo, traxerit verò de Deo spoliū diaboli. atque ita ex substantia diaboli, & spolio Deo detracto fabricatum esse hominem ex corpore & anima constantem. atq; animæ quidem non esse auctorem diabolum, neq; substantiā eius fecisse, sed solius ingressus animæ in corpus effectorē esse. detractā enim tanquam spoliū, vt ipsi aiunt, in carnē immisit, carnem verò ipsam, & formationem, & figuram, & talem formam, ac totam substantiam op<sup>o</sup> esse & formationem diaboli. Fidentes igitur factū esse hominem ex contrariis, neq; que sit contrariorum ratio sciunt; neq; sciunt, esse quædam contraria, quæ inter se commisceri non possunt, quia nullam inter se communionem, neq; missionem habere queunt. quin potius causa sunt interitus sui in illa, quæ putatur, communionem, quia non possunt simul esse, immo aliud tollitur, quia aliud dominatur.

Ecce, in vno cubiculo dies & nox inueniri non potest, quia solum lumen inuentum prius sustulit tenebras. Ecce, in vna anima pudicitia, & scortatio non possunt cerni, quia sola pudicitia, si apparuerit, fugat, & amandat scortationem. ecce, pietas, & impietas in homine vno nunq; erit. vbi enim pietas cernitur, neq; illa impietatis apparebit. confirmat autem Apostolus, & signat, quæ dicta sunt. Quæ, inquit, societas luci ad tenebras? Quæ pars Christo cum Belial? Quæ enim sunt sibi contraria, non possunt esse sibi amica, & vnus concentus non poterit facere, vt quæ sunt vnus concentus discrepent. nec enim ex numeroso, & non numeroso vnus concentus, & vna modulatio efficitur. nec ex silentio, & locutione vna compositio fit. Vnum enim solum esse oportet, altero sublato, quod non patitur, vt simul sit. Si autem corpus esset diaboli, & anima Dei, quomodo vnus concentus hominis ex eis conflatus esset? Quomodo vna amicitia, & affectio? en, aptatus, & factus est vnus homo, & concentus, ac conuenientia vnus est, ecce anima copulata est cū corpore, & illud amat, & affectione



fectione complectitur; nemo enim vnq̄ carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam. Si autem alterū alterius curā habet, & dolorē corporis suū ducit anima, & non disiungit affectionib⁹; sed adiungit se ad vulnera, adiungit se ad affectiones; & cū corpus dolet, p̄pter vulnera, in tristitia & molestia est anima, quę potest esse experta doloris.

Cum verò voluptatē percipit, & a voluptate titillatur, anima etiam motus corporis participat; & titillationes simul attingit. ac similiter quidē desinit, accipit verò similiter incrementum. Cum anima, inquam, desinit perturbationibus moueri, simul desinit corpus, & conuiescit. Cum verò cupiditas in anima remoratur, titillationibus etiā in corpore remoratis, corpus suauitate perfundit, & inflamat: suntq; æqualiter titillationes, & æqualiter titillationum abiectiones, & defectiones. Si autem ex contrariis esset homo, ac corpus quidem diaboli esset, anima verò Dei, primum quidē non facta fuisset coniunctio vtriusq; nec ipsa diuturna mistio perficeretur. Secundo, quamuis alterū ab altero reciperetur, & vtrumq; tamen, quæ sua essent, propria, & priuata duceret, quæ verò alterius, aliena. & neq; voluptas corporis, animæ voluptas fieret; neq; vulnera corporis dolores animæ essent: sed vtrumq; per se voluptatē, & dolorē sibi impertiret. Quomodo diabolus illinc, q̄ suum non erat, sumere potuit? quomodo anima, quæ non est huius, sed alterius, & nullā admisionē eius habet, sed est alterius substantiæ, & substantiæ oīo à diabolo alienæ, quomodo, inquam, in alienis & externis est? & admisionem corporis diaboli, tanquā vinculum patitur, & tolerat? & ligata est in non suo? quomodo carnem propriam esse ducit, & sanctam facit, atq; eam ad virtutem præparat, vt quo ad fieri potest, similem Deo efficiat? cum enim corpus castum est, & non sordidatum, neq; maculatum, cum sanctum est, & honestum, cum sermo eius sanctus, & rectus, cum aspectus iustus, cum motus eius diuini sunt, quid aliud est hoc, quam similem esse Deo? ac de his quidem hæc dicta sunt.

Pauca autem ex scripturis apponamus, vt appositio scripturarum illos ad erubescendum se adigat, & nobis fidem maiorem conciliet. Saluator enim cum in euangelio de formatione viri & mulieris meminit, formationem ad patrem suum, & conditorem vniuersi referens, aiebat: qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam fecit eos, & dixit: propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnē vnā. itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit,

homo

homo non separet. nouit cuius esset corpus, & cuius anima confitendo auctorem vtriusq; & patrem confitendo: & retinet, accohibet humanas cogitationes, volens, vt non possint disungi, quæ facta sunt, non concedens, vt vlla humana sententia, ac voluntate, quæ bene aptata sunt, separare liceat: in euangelio autē iis, qui falso videbatur eodem studio & cura teneri, occulta tamen & quæ intus erant in homine, negligebant. aiebat, stulti, non ne qui fecit, quod foris est, quod intus est, fecit? Si autem, quod intus est, anima est, quod autem foris, corpus, & qui fecit, quod intus est, animam fecit, & qui fecit, quod foris est, corpus fecit, igitur qui est animæ auctor, & effector, corporis auctor & effector est, & Deus est, qui vtrumq; fecit, & aptauit, & coniunxit, qui hunc harmoniam decentissimam coagmentauit. ipse autem Saluator quam accuratorem corpori in sermonibus suis adhibet, cum ait: sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnū cælorum. Qui poterit capere, capiat? adhibens enim hanc diligentiam, & studium corpori, & efficiens ipsum sanctum & perturbatioribus, ac voluptatibus vacuum, & omnem cupiditatem verbo amputans, & detondens, procuratorem corporis demonstrat, & curā carnis prouidam significat. sollicitudine autem, & accuratorem suam esse prædicat, progrediens vsq; ad curam aspectus. ne si aspectus fortuitus, ac temerè moueatur, omni labe, & macula impleatur. quin immo si constanter, & grauiter cietur, in apta modestia perseueret. ait enim in Euangelio; Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. commotionem in corpore cum corde committitur, & aspectum curans, communem curam adhibet cordi, commotionem aspectus commotionem cordis reputans esse, & accuratorem aspectus, accuratorem mentis. nec enim aliter nocebit oculus, quam vt nocebit mens. quia non potest oculus depruari, non deprauata anima: si enim anima est in æquitate, & recte videt; aptè, & conuenienter oculi cernent.

Hic igitur repudians turpem aspectum oculorum, sanctum aspectum inducit. vt oculi, inquit, recta videant, & palpebræ iusta intueantur. erigit enim & extollit oculos, non permittens simul, vt fluctantur, sed potius excitat, & vt erecti sint, facit. idcirco saluator gerens magnam prouidentiam, & procuratorem corporum corpus gestauit, & in corpus venit. Si igitur non venit in corpore, quid dicituri sunt de cruce, & fixura clauorum, & lanceæ, & monumento, ac sepultura? Sin autem his conuicti corpus sumpsisse Saluatorem confi-

constentur, quid dicent, si non sunt dicturi ipsum quoq; à diabolo formatum esse? & non iam solum corpus humanum esse diaboli, sed etiam corpus Saluatoris benefici nostri? non enim parcent, nec ab sinebunt se, quin vsq; in hanc cogitationem euadant, & linguam in Salvatore[m] proeudant. Qui enim contra ea, quæ ad illum pertinent, disputat, hic linguam acuens contra ipsum disputabit. Saluator autem baptismo etiam in Iordane abluebatur, & aquis aspergebatur, quis erat? & quid erat? Si enim corpus non gestabat, neq; corpus habebat. Quid commune est spiritibus cum fluminibus? Quis angelus, quæ virtus, quæ dominatio, quis principatus, quæ potestas ad lauerum descendit, & aquas experta est? quod si neq; virtus, neq; potestas, neq; thronus in aquas descendit, extra quæstionem posita est res. factum est perspicuum, quod quærebatur. immo ascendit ab aquis, tenebatur à diabolo, esuriebat, sitiebat, nauigabat, dormiebat, iter faciebat, defatigabatur, ambulabat, esuriens venit ad ficum. postremo iudicatus est, & crucifixus. quis hæc proclamabat? quis hæc testabatur? taceant linguæ, loquantur acta. Os habent res, res amplius ærem pulsantes, sonum emittamus, os habent scripta. & si nos taceamus, non tacent res. & si nos non loquamur, quæ scripta sunt, non possunt non loqui.

Igitur quia sic sunt hæc. & acta fidem habent, & narratio actorum vera est, & clamant ipsæ actiones vi sua, habuisse corpus Saluatorem, & corpus mortale, & quod propter nostra corpora corpus gestant, quod reliquum est, simile querit, propter nos venit illius corporis sui effector, & nostrorum effector. Si enim aliud fuisset illud, curam aliis non adhibuisset corporibus. Si autem factum est, & factum à Deo, factum verò est propter nos, igitur propter propria fiebat, vt quæ propria erant, salua essent. illud fecit, illius effectione omnium suorum libertatem operatus; gratia igitur debentur ei, qui corpora nostra fecit, qui eorum ignauia, atq; pigritia prospexit, & consuluit: qui misit filium suum in corpore, & nostris corporibus pignus dedit, vt non iam amplius stectamur, & humi cernamus, sed simus elati, & erecti communitate corporum.

*Id est, si non fuisset eiusdem nature corpus scilicet humanum anima intelligente præditum,*

Illos igitur deceptores, & fallaces in hoc etiam attenuemus, quod in corpora inuaserunt, & in corpus auctoris processerunt, ac contra economiam, & dispensationem Dei linguam extenderunt, ac contra libertatem nostram ad usum & exercitationem linguæ loqui non dubitauerunt circulatores quidam, & circumforanei. congeffimus

T

aceruum

Handwritten notes in the right margin, including "SIV" and "27".

aceruum verborum prauitatis istius. licet enim ex vno aliud accusa-  
re, immo omnia deinceps persequentes, omnia inutilia, & aliena exi-  
stimare, ideo nos omnem sermonem ipsorum huc vsq; delapsi, ne  
magnitudinem libro præbeamus, his hæcenus dictis terminemus,  
facta ex paucis aliorum indicatione, & ex dictis prius eorum confu-  
tatione confecta. opus autem est diligentia studiosis, vt omnes præ-  
stigias præteruecti aures seruent, ne a prauitate capiantur, vt sint cu-  
stodes suarum aurium. partim eas aperientes, cum verus sermo pul-  
sat, partim claudentes, cum falsus, & dolosus, veritatem simulans la-  
borat, vt in conclaue mentis irrumpat. multi enim ficti, & simulati  
pullant aures, dicentes, ego sum Christus, & multos decipient. vnus  
autem solus Christus, qui est liberator, præses victoriæ, beneficus, qui  
dispositione pulsat, qui libertatem in ipso aditu conciliat, qui simul  
vt ingreditur, peccata excludit, qui in ingressu, amicitiam cum  
patre tribuit, qui mox ingrediens trophæa  
in anima ponit.

*Finis libri tertij.*



Zacha

ZACHARIÆ

MITTLNENSIS

EPISCOPI

*Syntagma*

Aduersus

MANICHÆOS

*Nunc primum in lucem editum.*

Interprete.

Francisco Turriano;

Societatis I E S V.



T. DE

DE ZACHARIA  
EPISCOPO MITY-  
LENENSI EX EPIT. BIBLI-  
OTH. GESN.

**Z**acharia Scholastici (aliàs Sophiste)  
Et Episcopi Mitylenensis Dialogus,  
qui inscribitur Ammonius aut Phi-  
losophus, Gracè exstat Venetijs apud Diegum  
Hurtadum. Item liber de mundi æternita-  
te. Fertur & Romæ quippiam Zachariæ Phi-  
losophi exstare. Eiusdem exstat Dialogus  
Theophrastus, de immortalitate animæ.  
Vbi duplex error, primus, cum Dialogum, cu-  
ius inscriptio, Ammonius, distinguit, tanquam  
diuersum opus, à libro de mundi æternitate; cū  
sit vnus & idem liber. Secundus, cum Dialo-  
gum, Theophrasti nomine prænotatum eis-  
dem Zachariæ adscribit: Est enim Æneæ Ga-  
zæi Platonici Philosophi, relatus in tomum no-  
num Bibliothecæ Sanctorum Patrum.

Porro

Porro Dialogum contra Mundi æternita-  
tem in latinam linguam transtulit Gilbertus Ge-  
nebrardus, insertusq; est in tomum quartum  
Bibliothecæ SS. Patrum. De eodem Zacharia  
hæc annotavit collector Bibliothecæ SS. Pp in  
Indice Chronologico. *Zacharias ex Scholasti-  
co Mitylenensis Episcopus, deputatus à Mena  
Patriarcha, & concilio Constantinopolitano  
secundo, Oecumenico quinto, centum sexagin-  
ta quinq; patrum, contra Anthymū & Theo-  
dorum sub Vigilio Pontifice, temporibus Iusti-  
niani & Iustini Imp: cum Vossorio Neoca-  
sariensi Metropolitā Prouincia Pontipolemo-  
niaci, & Acacio Pessinuntino, ad notificādum  
Anthymo, quæ à concilio gesta essent de eius ex-  
auctoratione ab Episcopatu Constantinopoli-  
tano, & inuitare ipsum infra tres dies ad syno-  
dum ad faciendam super annunciatis congru-  
am satisfactionem. Retulit cum aliis, quæ in  
ea re gesserant, subscripsitq; Concilio post consu-  
latum Fl. Bellissarij. Hæc ille. Tu ipsamet Acta  
Concilij Quinti consule; quæ Zachariam non  
modò Episcopum, sed & Metropolitam Mity-  
lenensem appellant.*



# ZACHARIÆ E- PISCOPI MITYLE- NES DISPVATIO CONTRA

EA, QUÆ DE DVOBVS PRINCIPIIS A MANI-  
chæo quodam scripta & proiecta in viam publicam  
reperit Iustiniæ Imperatore.



I sunt in omnibus contraria principia, qua po-  
nis, vnum bonum, quod vocas, & alterum ma-  
lum, necesse est, si bonum substantiam esse dicis,  
malum non esse substantiam. Si bonum dicis prin-  
cipium esse, malum non esse principium: Si bo-  
num esse ingenitum, & æternum, malum non  
esse sic. Si enim hæc communia habent omnia,

quomodo sunt contraria? Præterea. Contraria non quatenus sub-  
stantia sunt, dicuntur esse contraria, substantiæ enim nihil est con-  
trarium, sed aut quatenus sunt ad aliquid, aut secundum qualitatem,  
& accidens, aut secundum habitum & priuationem: ex quo fit, vt pri-  
mo & soli bono, cum nihil horum habeat, nihil sit contrarium, quia  
secundum substantiam est bonum, substantiæ verò nihil est contrari-  
um. contraria enim dicuntur sursum, & deorsum non quatenus sub-  
stantia sunt, sed quatenus ad aliquid. Quæ autem sunt ad aliquid, cum  
natura corporea adnexa sunt, non igitur in natura incorporea, &  
quæ omnibus antecellit & quæ intelligitur comprehendi non posse,  
locum habent sursum & deorsum.

Et timor contrarius dicitur fortitudini non tanquam substan-  
tia aliqua, sed tanquam qualitas & accidens, quod sæpe adest, & abest.  
fortitudo enim, & timor in anima spectantur non tanquam substan-  
tia, sed tanquam qualitates. Quocirca non dicuntur animæ, sed circa  
animam



animam considerantur fortitudo tanquam habitus animæ, timor tanquam priuatio habitus. Sicut sanitas, & morbus in corpore. vnde necesse est priores esse habitus priuationibus. Summa igitur amentia esset cogitare hoc in Deo. distinctio enim boni à malo non habet locum in Deo, sed in bono, & malo actionum humanarum: bono quidem in creaturâ Dei ingrediente secundum habitum; malo verò secundum priuationem habitus ex motu liberæ voluntatis accedente sæpe, bonum enim in anima, & viuere secundum virtutem tanquam optimus quidam habitus, sicut dictum est, aduenit homini: huius verò ignauia ex voluntate, & ex praua consuetudine, ac conuersatione mala proficiscente, malum tanquam priuatio habitus sæpe accidit.

Rude igitur est, & valde inrudicum dicere contrarium bono secundum substantiam, & per se bono, malum, sicut contraria sunt sursum & deorsum; aut esse omnino aliquid contrarium bono secundum substantiam, quod est solus Deus. nemo enim bonus, nisi vnus Deus, quia ipsius bonum tantum est immutabile, tanquam primum bonum, & secundum substantiam bonus, quia ratione nihil est ei contrarium. quare malum non est secundum substantiam, ei enim quod est, opponit diuidendo, quod non est, vnde non est substantia, quod non est. Si autem quod non est, non est substantia, & opponitur substantiæ, diuidendo, vt ais, bono, quod est substantia, malum; malum igitur non est substantia.

Si autem hæc sic habent, & aliter bonum, quod est in Deo, consideratur, qui est bonum à se ipso motus, & secundum substantiam bonum, & quod primum bonum intelligitur; aliter verò consideratur in hominibus, quod sæpe priuationem habitus propriæ voluntariæ recipit, & veritas est cum iis, quæ sic intelliguntur, & dicuntur, an non est barbara, & stulta, & ex omni parte repugnans fabula de duobus principiis, quæ communes notiones non probant? Quomodo enim esse poterit  $\alpha\epsilon\chi\theta$ , quæ non in omnibus principatum tenet? *Principiæ* si autem necesse est, vt in omnibus principatum teneat  $\eta\ \alpha\epsilon\chi\theta$ , vnus solus erit princeps, quod principium vocamus. igitur malum non est substantia, sed diuinæ legis transgressio, quæ ex solo motu liberæ voluntatis ignauis ratiocinatoribus accidit, & in sola actione non obtemperantium legi Dei cernitur. vnde in ea inest, vt possit desinere, cum pernitet sæpenumero eos, qui maleficium faciunt, & ad virtutem motu voluntatis redeunt, quod quidem documento est, non esse mala secundum naturam. *Quæ*

Quæ enim secundum naturam sunt, vinci non possunt. Si autem  
mala non sunt natura, & naturarum fabricator Deus est, vnum igitur  
& solum principium erit, quod quia in circumscriptum est,  
& ubiq; esse intelligitur, nullam locum dat ne-  
quitia, quæ non est.

FINIS.



Exce-

*Excerpta:*

EX LIBRO S.  
HIPPOLYTI

*Episcopi*

POTVRENSIS  
ET MARTYRIS,


*De*

THEOLOGIA ET INCARNA-  
tione contra Beronem & Helicem  
Hæreticos.

*Nunc primum in Lucem edita:*

Interprete

Francisco Turiano,  
Societatis IESV.




V

Lectori.



## Lectori.


 Vis quantusq; Hippolytus Portuensis accuratè explicatum inuenies apud Card. Baronium Tomo II. Anno Christi 229. Summa est, fuisse Metropolitanum Arabiæ; venisse Romam Sub Callisto Pontifice; honoratum ab illo, Episcopatu Portuensi: scripsisse, (Eusebio id attestante) commentarios in Hexaëmeron. Librum contra Marcionem. Explanacionem in Canticum Canticorum. Expositionē in aliquot partes Ezechielis. Librum de Paschate. Librum contra omnes hæreses. Commentarios in Isaiam, (vt refert S. Hieronymus) In Danielem. In Zachariã. In Psalmos. In Ecclesiasten. De Saul & Pythonissa. De Antichristo. De Resurrectione, & *προς ὁμιλίαν* de laude Domini Saluatoris. Epistolam ad Reginam quandam (teste Theodoro) Orationem de duobus Latronibus. Item in Helcanam & Annam; & in principium Isaiæ. Librū de distributione talentorum. Item aduersus Valentinianos, & alia multa. Tandem Martyrium sub

sub Alexandro Imperatore subiisse. Hæc summa eorum est, quæ illustrissimus Annalium scriptor ex veterum monumentis de Hippolyto memoriæ prodidit.


Porro cum Hippolytus aduersus omnes Hæreses scripsit; & Eusebij tempore, ipso Eusebio teste, multæ eius lucubrationes (quarum relatione Eusebius supersedit) passim fuerint adseruatæ, difficile creditu non est, inter illas etiã fuisse hoc de Theologia & Incarnatione opus contra Beronem & Helicen, Valentiniani hæretici desertores. Ex quo opere Excerpta tibi damus; beneficio summi viri Francisci Turriani: absq; quo fuisset; planissimè hæc & alia multa antiquitatis monumenta perierant. Exploratum autem est errorẽ illum de humanitate Christi in diuinitatem mutata (contra quem disputat Hippolytus) non cum Appollinari & Eutyche demum natam, & in orbem introductam; sed longè Antiquiorem esse; cum illius Iustinus Martyr meminerit, in Expositione fidei vbi huius sententiæ hæreticos his verbis exagitat. *Dicite nobis vos, qui Christianismum profiteri simulatis; qui vt duas naturas tollatis, talia inuestigatis & obtenditis: qui missionis & confusionis & corporis in Deitatem, ita vt*

V 2

commis

*commisceatur, mutationis, eiuscemodi dubias  
 ambiguitates concinnatis; qui nunc verbum  
 in carnem conuersum; nunc carnem in ver-  
 bum substantia sua conuersum esse asseritis;  
 Et per id genus mentis emotiones Et delira-  
 tiones vosmetipfos ne tantillum quidem sape-  
 re manifestè declaratis: dicite ergò nobis, quo-  
 modo Verbum cælos non reliquit? Et c. Diffe-  
 rit deinceps Iustinus copiosè contra hunc erro-  
 rem, eumq; euidenter extremæ vanitatis, & vt  
 sic loquar, impossibilitatis coarguit. Hæc eò  
 notare visum, ne quis suspicaretur Excerpta hæc  
 ex Hippolyti officina non prodiisse; quod re-  
 fellunt dogma à posterioribus sectariis demùm  
 excogitatum. Fallitur, quisquis est hoc animo.*

*Nam error ille vetustissimus est; vt ex lu-  
 stino Hippolytum ætate antegresso  
 demonstrauimus.*



*Excer-*



*Excerpta ex libro*

**S. HIPPOLYTI  
MARTYRIS ET EPL  
SCOPI PORTVENSIS DE THE  
OLOGIA, ET INCARNATIONE CON-  
tra Beronem & Helicem Hære-  
ticos.**



Voluntate Dei, quæ infinitæ potentæ est, facta Cap. I.  
sunt omnia: & postquam facta sunt, salua ma-  
nent singula secundum suas rationes ordinate  
conseruata ab ipso Deo in immensum præpoten-  
te, & auctore vniuersitatis rerum, diuina eius vo-  
luntate, qua omnia fecit, & mouet singula suis le-  
gibus naturalibus gubernata, manente cum eis  
immobili. infinitum enim nullo modo, aut ratione motum suscipit,  
non habens quo, aut circa quod moueatur. motus enim infiniti na-  
tura, cui non inest natura, vt moueatur, mutatio ipsius infiniti est.  
Quamobrem Verbum Dei, quod verè, vt nos sumus, factum est ho-  
mo sine peccato, operatum & passum humanè, quæcunq; naturæ  
humanæ sunt citra peccatum; & sustinens propter nos naturalem  
carnis circumscriptionem, mutationem non sustinuit, qui est idem  
cum patre, in nulla penitus re factus idem carne propter exinanitionem.  
quin potius sicut erat expers omnis carnis, extra circumscri-  
ptionem mansit. per carnem diuinè operans, quæ diuinitatis sunt &  
vtrumq; se esse demonstrans per ea, quæ vtroq; modo, diuinè scilicet,  
& humanè, operatus est secundum ipsam verè veram & naturalem  
essentiam, vtrumq; inquam se esse, & intelligi, Deum infinitum, si-

V 3

mul

mul & circumscriptum hominem, substantiam utriusque perfectam habentem cum ipsa operatione, id est, naturali proprietate.

Ex quibus operationibus, & proprietatibus scimus manere semper secundum naturam sine mutatione ipsarum substantiarum differentiam, sed non, sicut quidam aiunt, secundum comparationem, ne eundem sibi ipsi secundum idem, quod non licet, maiorem, & minorem dicamus, comparationes enim sunt eorum, quæ eiusdem nature sunt, & non quæ diuersæ. cum Deo autem auctore omnium factorum, & infinito finitore finitorum, & cum ipsa infinitate nulla ratione comparatur finitum. quæ naturaliter & non comparatè per omnia semper inter se differunt. tamen si facta est utriusque substantiæ unio inexplicabilis, & indissolubilis in unam hypostasim. unio, inquam, quæ omnem cognitionem omnis creaturæ omnino fugit. diuinitas enim sicut erat ante incarnationem, est, & manet secundum naturam post incarnationem infinita, soluta & libera omni habitudine, impassibilis, incomparabilis, immutabilis, immobilis, per se fortis, & ut omnia complectar, sola est per se secundum substantiam infinitæ potentie & bonum infinitum.

*Eiusdem ex eodem libro.*

Cap. 11.

**F**actus igitur est Deus uniuersorum non mutatus vere homo secundum scripturas, sine peccato, sicut ipse solus nouit, qui est natura artifex eorum, quæ intelligentia comprehendi non possunt, qui in ipsa simul incarnatione operationem propriam diuinitatis carni imposuit, non circumscriptam ipsa carne propter exinanitionem, neque sicut erat diuinitatis, sic ab ipsa carne naturaliter procedentem, sed ostensam per carnem in iis, quæ incarnatus diuine operatus est. non enim caro facta nature diuinitatis, caro facta est natura diuinitatis, mutata natura sua. Sed quod erat, mansit secundum naturam, & operationem, unita cum natura diuina, sicut saluator dixit; Spiritus quidem promptus, caro autem infirma: in qua operatus, & passus, quæ erant carnis sine peccato, fidem fecit exinanitionis pro nobis factæ in diuinitate, miraculis, & passionibus carnis naturaliter confirmatam.

Idcirco enim factus est Deus uniuersorum homo, ut patiens in carne passibili, totum genus nostrum morti uenditum redimeret; idiuitate autem impassibili operans per carnem miracula, ad suam immortalem, & beatam vitam reduceret, & in cælis sanctos ordines constituit.



litum mysterio suæ incarnationis ad immutabilitatem roboraret, cuius opus est omnium ad eum tanquam ad caput reuocatio. man-  
 fit igitur incarnatus secundum naturam Deum supra quam infinitus  
 habens operationem sibi cognatam, & conuenientem, ex diuinitate  
 quidem procedentem secundum substantiam, per sanctam verò car-  
 nem in miraculis œconomice perfectam, vt crederetur Deus esse, qui  
 per carnem natura infirmam salutem vniuersi operabatur.

*Ex eodem libro.*

**M**hi etiam, vt exemplo planum faciam, quod de Salvatore di-  
 ctum est, ratio mea naturalis cognata est, & congruens, qui  
 sum ratione præditus, & anima intelligente, cuius est operatio, quæ  
 e anima mouetur, & prima potentia semper mobilis ratio naturalis  
 ex ipsa manans, quæ cum verbum à me facta est, & lineis bene signa-  
 ta, lingua quidem instar instrumenti aliquando eam profero, & litte-  
 ris artificiosè per dissimilia non mutatam ostendo, vt audiatur, non  
 enim ratio mea naturalis, est lingue & litterarum, etsi per linguam, & lit-  
 teras eam profero; sed ex me est, qui secundum naturam loquor, &  
 eam per linguam, & litteras promo; ex mea quidem anima intelli-  
 gente naturaliter semper manantem, per linguam verò meam cor-  
 poream organicè, vt dixi, quando oportet prolatam. Sicut igitur in  
 nobis, quo ad licet assimilare (quod penitus assimilari non potest)  
 per linguam nostram corpoream, immutabiliter facultas rationalis  
 secundum naturam animæ profertur; sic in Dei corporatione, siue  
 incarnatione, quæ supra naturam est, per ipsius sanctam carnem in-  
 tis, quæ diuinè operabatur, citra mutationem omnipotens, & omni-  
 um effectrix diuinitatis operatio ostendebatur, extra omnem cir-  
 cumscriptionem secundum naturam remanens, quamuis per car-  
 nem natura finitam elucebat. non enim potest per naturam creatam  
 circumscribi id, quod natura sua est increatum, quamuis vnitum est  
 ei in conceptu omnem mentè circumscribente, neq; potest vnquam  
 ferri in eandem naturam & operationem naturalem, dum vtraq; na-  
 tura intra suam naturalem immutabilitatem manet. eorum enim so-  
 lum quæ sunt eiusdem naturæ, est motus idem operans, qui substan-  
 tiam declarat, cuius est potestas naturalis, quæ nulla ratione  
 potestas esse proprietatis diuersæ substantiæ ci-  
 tra mutationem.

*Eius-*

Cap. III.

MS. B. 1. 27  
 27

*Eiusdem ex eodem libro.*

Cap. IV.

**M**ysterium enim diuinæ incarnationis ab Apostolis, & Prophetis, & doctoribus iudicatum est duplicem & differentem considerationem naturalem in omnibus subire, perfectæ diuinitatis, & perfectæ humanitatis. itaq; dum non vna ratio secundum substantiam noscitur, nequaquam vnus operationis motus vnquam vtrunque in ambabus naturis cognoscetur. Qui enim natura semper est Deus infinita potestate; factus, sicut voluit, homo sine peccato, quod erat, est cum illis omnibus, cum quibus intelligitur Deus, & quod factus est, est cum illis omnibus, cum quibus intelligitur, & potest natura cognosci homo, non excidens à seipso, sed in vtraq; natura semper firmiter permanens, seruans sibi perfectæ, & immutabilia naturaliter secundum vtriusq; naturæ rationem illa, quibus diuinè simul & humanè operatus est.

*Eiusdem ex eodem libro.*

Cap. V.

**Q**uidam enim Beron nuper cum aliis quibusdā, relicta fictione Valentini, grauiore malo se transfixerunt, cum aiunt; Carnem a verbo assumptam vnā & eandem operationem habere, quā diuinitas, propter assumptionem; diuinitatem verò eandem passionem, quam caro, propter exinanitionem; sic mutationem simul & mixtionem, ac confusionem, & ambarum naturarum in se ipsas conuersionem tradunt. Si enim caro assumpta eandem operationem habet, quam diuinitas, liquet factam esse natura Deum, habereq; omnia, cum quibus naturaliter intelligitur Deus; & si diuinitas exinanita eandem passionem subit, quam caro, liquet factam esse natura carnem, habereq; illa omnia, cum quibus naturaliter nosci potest caro. quæ enim inter se sunt eiusdem operationis, & efficientiæ, ac cognitionis, & omnino idem patiuntur, nullam naturæ differentiam recipiunt, atq; ita naturis inter se confusis, erit Christus duæ personæ, vna verbum, tertia scilicet persona Trinitatis; & altera sine differentia naturarum, naturis inter se confusis, atq; ita erit pro Trinitate quaternitas, seclus maxime fugiendum; & quomodo ipse vnus est, & idem Deus simul natura, & homo Christus? Quam essentiam habebit eorum opinione factus homo mutata diuinitate in carnem? & quam habebit Deus, mutata carne in Deum? mutatio. n. duarum naturarum inter se, interitus est ambarum. Sed rursus consideremus aliter hanc rem.

*Eiusdem*

*Eiusdem ex eodem libro.*

**P**rimo dogma sancitum est Christianis, esse Deum ipsa natura, & operatione, & omnia alia re, quæ ipsius naturæ convenit, æqualem sibi; & idem ipsum esse Deum, nihil eorū, quæ ipsius sunt, omnino habentem inæquale, & impar. Si igitur secundum Beronem caro assumpta eiusdem cum ipso Deo operationis naturalis facta est, liquet factam quoque esse eiusdem naturæ, habereque omnia, cum quibus natura Dei intelligitur, carere principio, esse ingentiam, infinitam, æternam, incomprehensam, & similiter in reliquis, quæ ratio Theologica superlatè, & supra naturam in diuinitate contemplatur. & veraq; natura mutationem passa est, cum nihil eorum, quæ propriæ naturæ sunt, rationem substantiæ saluam, & incolumem retineat. Qui enim eandem operationem diuersis naturis Christi tribuit, confusionē naturalem simul introducit, & diuisionem personarum. cum naturalis essentia naturarum per mutationem proprietatum penitus sublata sit.

Cap. VII.  
† τὰ αὐτὰ  
† ἀκα-  
τάλλα-  
λον.


*Eiusdem ex eodem libro.*

**I**n hunc errorem adducti sunt, cum malè eis suatum esset, fieri propriam carnis operationem ipsam diuinam operationem, quæ in miraculis per carnem ostensa est, qua diuina operatione Christus quatenus intelligitur Deus, vniuersum & fecit, & continet, & ei dominatur. non enim intellexerunt impossibile esse operationes diuine naturæ fieri proprias diuersæ naturæ sine mutatione: nec intellexerunt, non omnino proprium carnis esse, quod per ipsam quidem promittitur, sed non ex ipsa naturaliter prodit, cum alioqui manifesta & perspicua esset eis huius rei demonstratio. ego enim, qui lingua loquor, & manu scribo, vnam & eandem meæ animæ, intelligentis notionem enuncio, quæ naturalis operatio ipsius est, quam nulla ratione ostendo ex lingua, aut manu naturaliter nasci, nec esse, aut dici notionem linguæ, aut manus, quia per linguam, & manum enunciata sit. linguam n. aut manum ratiocinantem nullus intelligentia præditus nouit. Sicut neque sanctam Dei carnem factam esse natura creatricem, quia assumpta fuerit, & quia per eam operatio diuina edita sit, sed potius piè credimus, & confitemur, quod propter nostram salutem, & quia vniuersum immutabilitate indigebat, creator omnium ex sancta Virgine Maria, in conceptu puro, sine mutatione animam  
X intelli-

Cap. VII.

MS. B. 1. 1. 1. 1.  
S. IV  
27

intelligentem cum corpore sentiente sibi substantialiter vniens factus est homo natura à peccato alienus Deus verbum idem Deus totus, idem item homo totus, diuinitate quidem diuina operans per sanctam carnem, quæ natura non erat carnis; humanitate verò humana, quæ natura non erat diuinitatis patiens sustentatione diuinitatis, nihil diuinum nudum corpore operans, nihilq; humanum ex pers diuinitatis, seruans sibi nouum modum, quo vtraque diuina scilicet, & humana operatus est, vt in neutra natura mutatio fieret; idque ad faciendam fidem perfectæ suæ humanitatis veræ reuera & nihil prauæ habentis. Beron igitur cum sic, vt dixi, sentiret confundens diuinitatem Christi, & humanitatem simul naturaliter, dissoluit vitam, ignorans vnã & eandem operationem vim habere declarandi solam vnã & eandem naturam personarum eiusdem naturæ.



FINIS.



Episto-

*Epistola*S. GREGORII  
NYSSENI

CONTRA APOLLINARIUM.

Ad

THEOPHILUM ALEXANDRINUM  
Archiepiscopum.

Interprete

Francisco Turriano,  
Societatis IESU.*Nunc primum edita.*

X 2 Lectos

S. GREGORII  
 NYSSENI  
 CONTRA APOLLINARIUM  
 AD THEOPHILUM  
 ALEXANDRINUM  
 ARCHIEPISCOPUM  
 INTERPRETE  
 FRANCISCO TURRIANO  
 SOCIETATIS IESU  
 NUNC PRIMUM EDITA  
 27



## Lectori.

**A**NT e paucos annos ex tenebris in lucem prodiit Græcè & latinè hæc D. Gregorij Nysseni Epistola. Sed quia in schedis Turriani iam pridem eam ab eodem Turriano ex Græco in latinū translata reperimus; nefas visum est, tanti viri, deq; antiquitate tam benè meriti laborem publici iuris non facere; quia hæc editio fortassis eò perueniet, quò alia non peruenierunt; & ut cum aliis concurreret, facile tamen cum Quinti Tomi Antiqua lectionis, tum Turriani Interpretis nomine sese in gratiam tuam, amice Lector, insinuabit.

Vale.



Grego.

GREGORII NYSS-  
 SENI EPISTOLA AD THEO-  
 PHILVM ARCHIEPISCOPVM ALE-  
 xandrinum de incarnatione contra Ap-  
 pollinarium.



Non solum vbertate sęcularis sapientię abundat magna ciuitas Alexandrina, sed à principio etiam ea, quę apud nos vera sapientia est, scatent fontes. quocirca, vt mihi videtur, ab iis oportet, veritatem mysterij incarnationis defendi, quibus maior est ad hoc faciendum facultas: ait enim alicubi sublime euangelium; Cui multum datum est, plus ab hoc exigetur. æquum igitur est, vt omnes vires tuas, & ecclesię tuę ex gratia Dei profectas opponas falsi nominis scientię eorum, qui semper aliquid nouum contra veritatem excogitant, à quibus scinditur quidem consensus, ne idem dicamus secundum Deum; tacetur verò magnum, & veneratione dignum nomen Christianorum, & in appellationes ab hominibus sumptas ecclesia partitur. & quod omnium grauissimum est, gaudent homines nominibus eorum appellari, quos duces, & magistros erroris habent.

Si igitur fieri posset, vt quod Propheta optabat, vniuersę perduceretur ad exitum, & deficerent peccatores à terra & scelerati, vt non essent ipsi superstites, esset quidem hoc vnicuiq; preponendum, sed quia sermones scelestorum valentiores sunt, & in operatione Satanę vires contra veritatem habent, contenti esse debemus, si saltem mala imminuamus; prohibeamusq; ne vltius malorum accretio progrediatur. Quid igitur hoc est, quod volo dicere? Qui dogmata Apollinarii defendunt, conantur accusando nos sua confirmare, verbum, & auctorem sęculorum, filium hominis dico, facientes car-

X 3

ncum,

neum, & diuinitatem filij mortalem. proferunt enim, quasi quidam secundum Catholicam ecclesiam duplitem filium in dogmate profiteantur vnum natura, alterum positione postea ascitum. nescio à quonam hoc audierunt; neque contra quem pugnent. nondum enim intellexi, quis hæc falso dixerit.

Cæterum quia qui huic causæ contra nos defendendæ præsumunt, opinionationes suas confirmant, quia videmur illis hoc absurdo teneri, recte fiet, si sicut spiritus sanctus in animum tuum induxerit, excindas occasiones eorum, qui contra nos occasiones quærunt, & eis, qui per calumniam, ecclesiæ Dei hæc in crimine obiciunt, suadeas nec esse neq; prædicari apud Christianos hoc dogma. nec enim quia auctor sæculorum nouissimis diebus in terra visus, & cum hominibus conuersatus est; idcirco duo filij in Ecclesia numerantur, vnus auctor sæculorum, & alter qui in fine sæculorum per carnem in vita humana apparuit, si quis enim apparuisse vnigenitum filium Dei per carnem in mysterio dispensationis, ad fabricandum alterum filium valere intelligit, is quidem, cum numerauerit, quoties Deus sanctis apparuit, antequam vnigenitus Dei filius in carne appareret, & quoties postea iis, qui digni habitu sunt, Deus ante incarnationem filij Dei visus est, secundum numerum huiusmodi apparitionum Dei multitudinem filiorum faciet; eritq; ei vnus quidem filius, qui Abrahæ respondit; alius vero, qui apparuit Isaac; alius, qui cum Iacob luctatus est; alius, qui Moyli varie apparuit in lumine; in caligine; in columna nubis; facie ad faciem; in posterioribus; alius rursus filius, qui adfuit in acie Iosue successori Moylis; alius qui per procllam respondit Iob; & qui Esaiæ in sublimi solio apparuit; & qui humano habitu ab Ezechiele verbis descriptus est; & postea in lumine circumfulsit Paulum; & qui ante Petro & iis, qui cum Petro erant, in monte in celsiore gloria visus est. Si vero hoc absurdum est, & penitus impium varias vnigeniti filij Dei visiones in numerum filiorum Dei partite referre, æque absurdum est, quod in carne apparuit, inde occasionem sumere alterum filium fabricandi.

Arbitramur enim secundum mensuram facultatis cuiusq; eorum, quibus apparet Deus, apparuisse semper, magis quidem & diuinius iis, qui possunt penetrare in altum; minus autem, & tenuius iis, qui non possunt maius capere. quamobrem non similiter vt ante, in disputatione per carnem facta hominibus apparuit, sed potius quia omnes, sicut ait Propheta, declinauerunt, & inuiles facti sunt,

& non



& non erat, sicut scriptum est, qui posset intelligere, & exquirere altitudinem diuinitatis. idcirco uirgenitus Dei filius apparens generationi magis carni dedita, caro fit contrahens se ipsum, pro paruitate recipientis; quin potius, sicut ait scriptura, exinaniens; ut quantum natura capere possit, tantum recipiat. fuisse enim generationem illam magis damnatam, quam superiores, ex ore Domini aperte intelleximus, cum ait, tolerabiliores esse Sodomitas, quam ipsos, & Ninuitas, ac reginam Aultri condemnatos esse in resurrectione generationem illam, Dominus pronunciauit. Si ergo omnes potuissent sicut Moyses, esse intra caliginem, in qua uidit Moyses inspectabilia; aut sicut Paulus eleuari supra tertium coelum, & doceri in paradiso de rebus sublimibus, quæ dici non possunt; aut sicut Elias Zelotes simul cum igne in sublimi ferri, & corpore deorsum trahente non deprimi; aut sicut Ezechiel, & Esaias in folio gloriae uidere vel eleuatum supra Cherubin, vel glorificatum à Seraphin; plane necesse non fuisset, ut Deus noster in carne appareret, si tales fuissent omnes. Quia uero sicut Dominus dixit, praua & adultera erat generatio illa, praua quidem, quoniam sicut ait scriptura, totus mundus in maligno erat tunc positus; adultera uero, quia separata à bono sponso, cum eo, qui per vitium adulterat animas, se miscuerat; ob hanc causam uerus medicus, qui curateos, qui malè habent, quam curationem requirebat morbus, hanc adhibuit aegroto, quodammodo simul infirmatus cum infirmitate nostræ naturæ, & factus caro; quæ in natura sua concretam habet infirmitatem. sicut diuinus sermo docet, cum ait: spiritus promptus est, caro autem infirma.

Si igitur cum diuina fuit in humano, & immortale in mortali, & potens in infirmo, & immutabile atque incorruptibile, in mutabili, & corruptibili, permisit remanere mortalitatem in mortali, & corruptibilitatem in corruptione, & alia similiter in aliis, rectè, & conuenienter duplicia contraria posset quis contemplari in filio Dei numerans utrumque contrariorum separatim in ipso. Sin uero mortale in immortali, immortalitas effectum est; & similiter corruptibile in incorruptibilitatem mutatum est, & alia eodem modo conuersa sunt in impassibile, & diuinum, quæ iam ratio relinquatur diuidendi unum in duplicem differentiam? siquidem uerbum & ante carnem, & post carnem uerbum erat, & est: & Deus ante formam

formam serui, & cum forma serui Deus est; & verum lumen priusquam luceret in tenebris, & postea quam luxit, verum lumen est. Si igitur omne quod Deum decere intelligit, imutabile semper in vnguento esse cognoscitur, & idem semper est, & eodem modo se habet, quomodo vllus cogit nos, cum qui per carnem apparuit, duplicem filium nominare? tanquam vnus sit filius ante seculum; & alter filius per carnem Deo generatus. nos enim naturam quidem humanam seruari vnitam verbo in mysterio incarnationis & didicimus, & credimus; filium verò Dei carneum separatim in se ipso spectatū neque didicimus, nec vlla consequentia ad intelligendum hoc inducitur. nec enim, qui factus est propter nos peccatum, & maledictum, sicut Apostolus ait, & qui infirmitates nostras, sicut ait Esaias, & cepit, reliquit circa seipsum sine medicina peccatum, & maledictum, atque infirmitatem; quin potius mortale absorptum est à vita; & qui crucifixus est ex infirmitate, viuuit ex virtute; & maledictum mutatum est in benedictionem; & quicquid nostræ naturæ infirmum est, & caducum, vnitum diuinitati illud factum est, quod est diuinitas.

*Scilicet secundum Hypostasim, vnus enim diuinitatis & humanitatis vnus Hypostasi.*

*in vniuerso  
quod est  
in vniuerso  
proprietates  
seu personarum  
indivisibiles  
intelligit.*

Vnde igitur potest vllus cogitare duos filios, tanquam necessitate quapiam propter incarnationis mysterium ad hanc opinionem ductus? Qui enim semper est in patre, & semper habet in se ipso patrem, & vnitus est ei, sicut ante erat, sic est, & erit; & alius præter eum filius nec erat, nec factus est, nec erit. primitiæ autem humanæ naturæ, quæ ab omnipotente diuinitate assumptæ sunt, quæ sunt, vt hac similitudine vtatur, instar guttæ acetii immenso pelago ad mixturam, sunt quidem in diuinitate, sed non in proprietatibus eius. Sic enim duo filij cogitari potuissent, si diuersa natura in diuinitate filij, in propriis separatim signis agnosceretur, ita vt esset hoc quidē infirmum, vel paruum, vel mortale, vel caducum; illud verò potēs, & magnum, & immortale, atque æternum. Sed quia omnibus, quæ simul cum mortali spectantur, in proprietates diuinitatis conuersis, in nulla re differentia conspicitur, quicquid enim filij cognosci potest, diuinitas est, sapientia, potestas, sanctificatio, indolentia, quomodo vnus diuidi potest in duplicem significationem, cum nulla differentia numerum partiatur? diuinitas n. id, quod erat humile, superexaltauit; & ei, quod more humano nominabatur, donauit nomē, quod est super omne nomen; quod erat subiectum, & seruum; Dominum, & regem fecit. sicut beatus Petrus ait, Dominum eum, & Christum fecit Deus, regem enim intelligimus, cum Christum dicit. & pro-

propter perfectam, & summam vnionem carnis assumptæ, & diuinitatis assumptis commutantur nomina, vt quod humanum est, diuino nomine, & quod diuinum, humano appelletur. vnde crucifixus, Dominus gloria à Paulo vocatur; & qui ab omni creatura celestium, terrestrium, & infernorum Iesus nominatur. his enim nominibus vera & quæ dirimi non potest, vnio declaratur, ex eo, quod appellatione filij gloria diuinitatis, quæ expromi non potest, significatur, siquidem omnis caro, & lingua confitebitur; quod Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris, ita vt qui passionem crucis iustituit, & clavis perforatus est, & latus eius lancea transfixum. Dominus gloria à Paulo appelletur.

Si igitur quod humanum est, in proprietatibus naturæ non ostenditur, sed est Dominus gloria, nunquam vllus duos Dominos gloria dicere audebit, cum sciat esse vnum Dominum Iesum Christum, per quem omnia. vnde igitur nos accusant, quasi duos filios ponamus? qui hanc criminationem speciosam occasionem ad fabricandas opiniones suas faciunt & obiciunt. Hactenus nostra contra illos defensio. à te autem, qui in Christo perfectus es, maius, & absoluteius subsidium veritatis requirimus; vt nullam contra veritatem tendiculum ad accusationem habeant; qui suas opiniones obiecta contra nos reprehensione firmare volunt.

FINIS.



Y

S. BA.

Non offenditur in proprietatibus naturæ humanæ separatim, id est, in proprietatibus, quæ indiuiduales seu personales vocantur; hoc est in hypostasi humana.

S. J. S. V.  
S. IV  
27

168

S. BASILII MA-  
GNI

RATIONES SYLLOGI-  
STICÆ,

CONTRA ARIANOS.

Quod filius in diuinis sit Deus.

*Nunc primum in Lucem edita.*

Interprete

Francisco Turiano,

Societatis IESV.



I.



I filius est natura Deus, & pater est natura Deus, non est alius Deus filius, alius verò Deus pater. Sin autem non est natura Deus, filius; Deus dicitur, sicut, qui falsò dicuntur Dij, & non est Deus.

II.

Si vnus Dominus filius natura, Dominus autem etiam pater natura, manifestum est, quod non alia natura. Quod si vnus Deus pater, dicitur autem Deus etiam filius, non alia natura, sed vna.

III.

Si vnus Dominus natura, cum multi *scōs*, hoc est, positione  
scu

Seu adoptione vocentur Domini, & vnus filius natura, cum multi nominentur filij, qui vocatur positione Dominus vel filius, ad imitationem eius, qui natura, vocatur: positione enim nihil dicitur, nisi antecedat, quod natura. Si igitur nos sumus filij Dei *secundum*, id est, adoptione, necesse est prius esse natura filium.

III  
IV  
V

Quae verè sunt nomina substantia, ea nota sunt eorum, quorum sunt nomina. Propriè autem & verè pater est Deus & filius & Spiritus sanctus, eadem igitur substantia, sicut & nomina.

Si non est generationis vnigenitum, sed propter incomparabilem excellentiam est vnigenitus, pater etiam est vnigenitus, quia incomparabilis est, & omnis creatura non similis, sed dissimilis erit vnigenita, multi igitur vnigeniti erunt, sicut filius est Dei vnigenitus.

VI  
VII  
VIII

Filius non simpliciter est vnigenitus, sed à patre vnigenitus, filius igitur vnigenitus est, & non creatura vnigenita.

Si *secundum naturam*, id est, dimissionem, & permissum patris, & non secundum naturam creat filius, nihil aliud quam minor creaturis ab ipso factis, etiam secundum naturam est, quorum enim non est creator secundum naturam, quomodo creata secundum naturam?

Si Deus operatur, sicut nullus alius, & generans, sicut nullus alius generabit, Deus enim in omnibus, & ad omnia est incomparabilis vt Deus.

Quod fit, non est ex substantia facientis, quod generatur, ex substantia generantis est; non est igitur idem facere, & gignere.

Si filius est ex Deo, non est autem tanquam ex patre, sed tanquam ex causa, causa autem vt sumus etiam nos, Deus est, ex ipso enim sunt omnia, non igitur aliter pater filij, & aliter noster, sed potius similiter; & quomodo non est hoc absurdum?

Si nihil est simile, & aequale Deo prater filium, & non est filius, neq; Deo, neq; creaturis erit similis.

Quod est in forma Dei, in substantia Dei est, non enim est aliud forma, & aliud substantia Dei, ne compositus sit; igitur qui est secundum formam aequalis, & secundum substantiam erit.

Si genitus minor est eo, qui genuit, non est accusandus, qui genitus est; infirmitas autem est genitoris, aut enim inuidens, non fecit aequalem; aut quia non potuit, non genuit similem.

Si pater ante filium erat, omnino pater alterius erat, sine filio enim non diceretur pater.

IX  
X  
XI  
XII  
XIII  
XIV  
XV

Y a Si qui

S. BASILII  
DE SPIRITU  
S. IV  
27

- XV.** Si qui filium cognouit secundum substantiam, cognouit etiam patrem, si me enim, inquit, cognosceretis, & patrem meum cognosceretis. igitur homouistos est patri filius. nihil enim incorporeum, ex dissimili substantia cognosci potest.
- XVI.** Si credere Christum esse filium Dei habet vitam; non credere, necessarium habet mortem.
- XVII.** Quorum sunt eadem *ἐνέργειαι*, id est, operationes, horum etiam substantia vna: operatio autem patris & filij vna, vt illud, facimus hominem, & rursus, quæ facit pater, hæc & filius similiter facit, vna igitur substantia patris & filij.
- XVIII.** Si cognitio patris & filij vita æterna est, necesse est, vnus etiam naturæ esse. quæ enim diuersæ substantiæ sunt, non vna cognitione percipiuntur, neq; similiter viuificare possunt.
- XIX.** Si imago patris verè est filius, omnis autem imago vel substantiæ est, vel formæ, vel figuræ, vel speciei, vel coloris imago: Deus autem in nullo horum est, sed in substantia solum; filius igitur cum sit imago substantiæ, eiusdem substantiæ est cum patre.
- XX.** Si pater omnino non potest conferri cum filio, in omnibus autem etiam conferri non potest cum creatura, non aliter cum filio, aliter autem cum creatura, sed similiter; non igitur est dissimilis patri, sed & similis creaturæ, & quomodo non est hoc absurdum?
- XXI.** Si cum dicunt filium esse creaturam, non tanquam vnâ ex creaturis dicunt, quare cum nos dicimus esse *γεννητός*, id est, germen, tanquam vnum ex germinibus intelligunt?
- XXII.** Si non gignit Deus, ne fluxionem subeat, neq; *κτίζα*, id est, creat siue facit, ne defatigetur; Sin autem creat nihil patiendo, multo magis nihil patiendo gignit.
- XXIII.** Si sicut splendor ex omni lumine generat, sic ex patre quidem, lumine autem non quandoq; sed sine intercapedine temporis, & coæternè cum illo, non n. est lumen sine splendore; filius igitur, cum sit splendor patris, non aliquando, sed coæternus est. cum sit Deus & pater lumen, sicut ait Dauid, in lumine tuo videbimus lumen: & Daniel, & lumen ipse est; & Apostolus, qui cum sit splendor gloriæ, &c.
- XXIV.** Si germen substantia est, ipsorum opinione, sicut ingenitum; germen autem Dei est filius est igitur substantia Dei.
- XXV.** Si voluntate, non natura Deus filium genuit, vel cum voluit semel,

femel, deinceps non potuit velle, vel iterum voluit, & iterum genuit. Si autem non est vna voluntas eius, sed diuersa, non est simplex; nec vnus auctor, sed, vt vult, facit.

Si Deus non generat, aut quia non potest omnino; aut quia non vult; sed siquidem non potest, non solum non potest, sed superat eum generatiua, & perfecta natura, infirmior inquam est, quam natura generans, & perfecta. Sin autem cum alioqui posset, noluit tamen; quod natura potuit, voluntate cohibuit. Quare et si non dum genuit, igitur volens, generabit aliquando.

Si aliquando non fuit filius, ipsum illud, aliquando, erit post illud, qui generauit, non autem antequam genitus sit. non igitur ante omnia filius sine patre, sed post illud, aliquando, reperietur. & quomodo non hoc absurdum est?

Cum nos dicimus patrem semper, necesse est etiam semper esse filium, aiunt illi, igitur quia semper est filius, creator, & creatio semper, atq; ita erit creatio coeterna patri, & filio. at qui dicit creatorem, non simul dicit creationem. non enim cum ædificatore simul est ædificium, neq; cum opifice nauigii simul est nauigium. Creatio enim in creatore est. quod autem creatur, post creatorem est: patrem autem dicere, non posito filio, impossibile est. & qui patrem dixit, non simpliciter dixit, sed alicuius patrem dixit.

Deus, & Dominus, & omnipotens, & Sabaoth, & Adonai, & Eloi dicitur in scripturis Deus, ingenitus verò nequaquam. Si quis verò hoc concedet, vt ingenitus, & aliis nominibus propositis dicatur, accommodabit hæc ludæis, & omnibus; solis verò Christianis accommodabit dicere patrem Christi. Si igitur, quod solum nos ab aliis separare, falsum est, & non verum; & nomen est *déca*, id est, positione, & non res natura, falsa est fides; vana est spes. Cuius enim principium est infirmum, etiam finis est debilis.

Rursus interrogant Ariani, existensne, an non existens genitus est filius? obscura, & rudis interrogatio, quia enim pudet interrogare quando, & in tempore, dicunt *τὸ ὄν*, id est, existens. vicissim igitur interrogandi sunt, existensne Deus pater filium genuit, an non existens pater? Si enim existens pater, existentem genuit: Sin verò non existens, genitus, & non natura pater est. Omnem autem contentio-nem excludunt diuinæ scripturæ; Cum Moyses clarè dicat, qui est, misit me, & euangelium, in principio erat verbum, & non semel erat, sed quater, & rursus aliàs, qui est ex Deo, & qui est in sinu patris: & in

Handwritten notes on the right page, including the word "SIV" and the number "27".

alio loco; qui est in caelo, & in Apocalypsi: qui est, & qui erat, & qui venturus est. & beatus Paulus: qui est splendor gloriae; & cum in forma Dei esset, & iterum de filio: qui est super omnia Deus, qui est benedictus in saecula Amen.

**XXXI.** Si verus est Deus, & lumen, & immutabilis, & bonus, & sanctus, & Dominus, & filius, haec autem cum pater etiam sit, non similiter est haec, sed *μαζωτος*, id est, magis. erit ergo talis non propter substantiae praestantiam, & excellentiam, sed qualitatis exsuperationem: substantia enim non dicitur magis, aut minus alia substantia; bonus vero bono, & iustus iusto magis dicitur; igitur eorum, qui geniti sunt, eadem est natura cuius est, qui genuit, etsi aliter genitus habeat *το ερα*. nec enim Abel, qui ex coniunctione viri & mulieris genitus est, diuersae naturae fuit quam Adam, qui non est genitus, sed formatus.

**XXXII.** Si quod est causa est maius, & differens substantia ab eo, cuius causa est, omnis autem pater est causa, & omnis filius est ex causa: patres igitur maiores, & differentes substantia sunt à filiis, & non vnius substantiae; at non est verum hoc.

**XXXIII.** Interrogant Ariani, an pater generato filio, desierit generare; si respondetur, desuisse, inferunt, coepisse igitur generare, omne enim quod finem habet, inquit, etiam habet principium. Quibus respondemus, si necesse est, quod desinit, principium habere; & quod principium habet, necesse item habere finem: igitur Angeli, & omnia incorporea, quae coeperunt esse, necesse est desinere esse. at hoc absurdum est. potest igitur quod coepit esse, non desinere; & quod desinet, non coepisse. quod si non; ipse etiam filius, si principium habet, & finem habebit, ipsorum opinione.

**XXXIV.** Eadem est natura eorum, quae genita sunt, & generantis, quamuis aliter coeperit esse, qui genitus est; non enim Abel natus ex coniunctione alia natura fuit praeter naturam Adae non generati, sed formati.

**XXXV.** Quod in incorporeis est vnum operatione, & voluntate, dicitur substantia vnum. Saluator cum dixit; Ego & pater vnum sumus, vno quopiam eorum, quae ante scripta sunt, dixit, igitur si operatione vnum dicunt, necesse est, ut substantia vnum dicant, eorum enim, quae sunt diuersae substantiae, nunquam erit operatio similis. Sin autem voluntate vnum, non solum quaecumque pater vult, necesse est & filium velle; sed etiam quaecumque filius vult, necesse est & patrem velle. iubeat ergo



ergo filius patri, de quibus vult, & de quibus iubetur. sin autem solum iubetur, coactus, & non volens ministrat. Si verò neq; voluntate, nec operatione sunt vnum, sequitur ipsorum opinione, esse vnum substantia, id est, homouision patrem, & filium, quod ipsi dicunt, impossibile esse.

*Eiusdem S. Basilij contra Eunomiū, quod ingentum non substantiam, sed ὑπαρξιν, id est, existentiam declarat.*

**S**i ingentum est substantia, & genitum est substantia, & idcirco non sunt eiusdem substantiæ pater & filius, necesse est penitus omnia genita vnius substantiæ esse. sunt igitur genita homouisia, id est, eiusdem substantiæ cum filio Dei. & quomodo non est blasphemum?

Si ingentum πρὸς τὸν γεννᾶτον ἡδὲν ἀντιδιακρίσιμον est substantia, & increatum πρὸς τὸν κτιστὸν ἀντιδιακρίσιμον substantia est, est igitur ingentum substantia, & increata.

*Cætera desunt.*



Scho-

S. BASILIJ  
contra Eunomium  
SIV  
27

## SCHOLIION

EVNOMII: ET DISPUTATIO  
Orthodoxi contra  
eum.

FRANCISCO TVRRIANO,  
Societatis IESV Interprete,

Nunc primum edita.



Vod voluntas non est idem quod substantia Dei, voluntas enim incipit, & desinit. Substantia autem non incipit, & desinit: quod autem incipit, & desinit, non potest idem esse cum eo, quod nec incipit, neq; desinit. Aliter. Si idem esset substantia Dei atq; voluntas, oporteret, si una est substantia, vnam esse voluntatem; at reperitur secundum doctrinam scripturarum nō vna voluntas, sed multæ: cum scriptura dicat, omnia, quæcunq; Dominus voluit, fecit. multa enim voluit, & non vnum. clarè licet hoc videre in fabrica mundi, voluit enim esse mundum, & exiit secundum voluntatem eius, & permanet factus. aliud autem præter voluntatem fabricationis est permanere. promisit mutaturum se mundum in aliam formam, & voluntate mutat. non solum autem multæ, sed diuersæ voluntates sunt. voluit enim cælum, & solem, & voluit terram. cum autem diuersa sunt ea, quæ voluit, necesse est diuersas esse voluntates de eis. Similiter dicendum est de iis, quæ incorporea sunt, & sub intelligentiam cadentia.

Orthodoxus. Si igitur opinione tua, non est idem substantia, & voluntas, omnia autem quæ facta sunt, opera voluntatis eius sunt, fatere filium esse ex substantia, sic enim vnigenitum esse confiteberis.

ris, quia solus sit ex substantia Dei genitus. etenim si ipse etiam est filius voluntatis, non est unigenitus, cum sint multi secundum voluntatem geniti. scriptum est enim voluntarie genuit nos verbo veritatis. multae autem voluntates non sunt, ut existimasti: non enim quia sunt differentes creaturae, omnino sunt differentes voluntates. quin potius sicut una voluntate fecit hominem, & ex diuersis membris, & partibus eum fecit: fecit enim oculos, nares, capillos, & viscerum, atque intestinorum compositionem, & quaecunque in nobis sunt, sit totum mundum una voluntate fabricatur.

Anom. Si pater maior est filio, secundum quid maior? mole corporis, an secundum naturam ingeniti? & utrum ingenitum substantia est, an nihil?

Orth. Pater maior filio est, ut scriptum est, non tamen maior mole, neque tempore, neque natura; sed tanquam pater filij, qui factus est homo. Propter humanitatem enim dicit Apostolus factum esse Angelis minorem. eum autem, inquit, qui modico, quam Angeli, minoratus est, videmus, Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, propter hanc autem humanitatem assumptam Mariae, & Ioseph erat subditus. erat enim subditus illis, ait euangelium.

Anom. At maior dicit, quatenus ingenitus. ingenitum autem est aliquid, an nihil? si nihil, ut dixisti, non enim est substantia: igitur secundum nihil est maior: qui autem secundum nihil est maior, per omnia est aequalis, non enim pater minor est filio. aequalem igitur dicit ingenitum genito. & quomodo verum dicit, cum ait; Pater, qui misit me, maior me est?

Orth. Ingenitum in Deo patre non est substantia, sed significat, Deum non habere patrem. nemo autem, quia non habeat patrem, maior est alio. nec enim Adam patrem habuit, nec Eua, sunt tamen nobis consubstantiales. Quomodo verò tu de ingenito Philosophatus tanquam oblitus tui, induxisti: Pater maior me est? oportebat enim, ut tecum consentiens, potius induceres, ingenitus, qui misit me, maior me est. at non sic scriptum est, idcirco recte non sic dicis. ne sis multum sapiens, ἵνα μὴ ἐκπλανῆς, non enim es sapientior Danicle, neque Spiritu S. qui patrem nos docuit, ingenitum verò minime.

Anom. Si secundum molem pater maior est, erit compositus ingenitus, cum tamen simplex sit, & figura carens; moles enim aliquid compositum, & partibile est. Siquidem omnis moles composita est ex partibus, & partium compositionem habet, quod in Deo di-

Z

cete

cere absurdum est.

Orth. Absurdum sane est dicere in Deo compositionem, & molem, filius enim, quamvis nolis, Deus est ex pers compositionis, & figura, & simplex, quod si hoc verum est, non reperietur in his maior pater, filius autem æqualiter simplex, & sine compositione, atq; figura, & Deus assumpta humanitate dicit maiorē esse patrem honorans patrem suum. audis enim dicentem: Ego honoro patrem, & vos in honoratis me. & pater honorat filium collocans eum ad dexteram suam, & omnes ad eum trahens. ipse enim filius ait, nemo venit ad me, nisi pater mens traxerit eum.

Anom. Præterea, si est aliquid ingenuum, aut est totum hoc, aut pars. si pars, rursus sui dissimilis est, si quidem pars aliqua eius est ingenua, & alia non. sin autem tota natura est ingenua, & pater est uniuersē siue ex toto maior, recidit sermo in variationem substantiæ. Si enim tota substantia est ingenua, & quatenus est ingenuus pater, dissimilis est genito: igitur secundum totam substantiam dissimilis est. Quomodo igitur dicis *πλὴν τῆς ἀγεννησίας*: id est, æqualis, præterquam quod est ingenuus? Si autem in ingenuo antecellit filio, & ingenuum nihil est, nihilo maior est filio, quod quidem nihilum extra substantiam patris esse dicunt. quod si id, in quo antecellit, est extra substantiam patris, æqualitas erit in substantia, maius autem est ingenuum filio, quod quidem omnibus est nihil, & æqualitas erit in filio, illud quidem ingenuum, hæc verò genita.

Orth. Rapere oportet non quæ non sunt scripta, sed regnum cælorum. quid igitur rapis, quod neq; scriptura tibi dat, neq; nos? nemo enim nostrum tibi concedit, patrem esse maiorem, quatenus est ingenuus. nec enim filius dixit: Ingenuus est maior me, sed pater, ad quem iturus erat. Sic enim ait, Si diligereis me, gauderetis vtiq; quia dixi, vado ad patrem meum, quia pater maior me est, vadit autem tanquam qui formam serui assumpserat, tanquam Deus enim in se habet patrem, sicut ait: Ego in patre, & pater in me est: qui vidit me, vidit & patrem. pater in me manens, ipse facit opera. ne igitur insuper semines Zizania in agro scripturæ diuinæ ingenuum, & dissimile. quin potius si vis philosophari, philosophare his ipsis verbis in incorruptibilis, & immortalis. hæc enim sunt semina agri scripturæ. verbi gratia, si est aliquid immortale, aut totum est, aut pars. at si pars, rursus sibi inæqualis erit, si quidem pars eius est immortalis, reliqua vero non. sin autem tota natura immortalis est, & incorruptibilis,

ex toto autem immortalis pater, & incorruptibilis, continuo filius totus in eadem substantia reperietur. Si enim tota substantia immortalis, & incorruptibilis est, & nulla in eo pars contraria, igitur secundum totam substantiam est idem ipsum. Quomodo igitur audet vltus dicere dissimilem?

Anom. dicitur, aiunt, imago operationis, operatio autem idem est atque substantia: erit igitur filius imago substantiæ. interrogemus igitur, genuit ne, an non? aiunt, genuit, ex substantiæ, an ex voluntate? Non ex substantia, inquit, sed & voluntate. aliud ne dicis bonitatem, & voluntatem præter substantiam, an eandem? Si enim eandem dicis, ex voluntate autem, & bonitate genuit, consubstantialiæm dicis patrem filio, quod quidem non vis. Ais verò omnia ex voluntate Dei facta esse per filium: voluntas autem idem est atque substantia: eiusdem igitur substantiæ erunt omnia cum Deo, siue serpentes sint, siue aquatilia. & reliqua omnia, quæcunque voluit fecit in cælo, & in terra. Sic igitur si imago operationis est, ex quibus ipse ais, non efficietur, eiusdem substantiæ sine vlla variatione esse.

Orth. Si quidem homines opinionis tuæ refellere studeres, sic fortasse collegisses. Sin autem verum dicere, nec auditor veri mihi fuisse videris. Quod enim filius sit imago substantiæ, Apostolus ait, qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, quod nihil aliud est, quam imago substantiæ. & quod non est idem substantia, & voluntas hoc nos profitemur. idcirco filium dicimus ex substantia genitum: nos verò natos ex voluntate. est autem opinione tua non idem substantia atque voluntas. substantia autem neque cœpit, neque desinit, non igitur cœpit imago Dei, voluntas autem & incipit, & desinit. eos igitur, qui dicunt, idem esse substantiam, & voluntatem, illos habere, nos autem & volumus & confitemur esse patri filium, idcirco enim credimus esse eum unigenitum, quoniam solus ipse ex substantia genitus est, sicut ante dictum est: alij vero omnes ex voluntate. cum autem dicimus filium patri consubstantialiæm, non ipsum sibi ipsi consubstantialiæm dicimus, nemo enim sibi consubstantialis est. Sin autem verè confiteris omnia ex voluntate patris per filium facta esse, inter omnia autem dicis filium factum esse, ipsum etiam per seipsum dabis factum esse, quod si hoc absurdum est, non est igitur filius voluntatis, sed substantiæ. Si autem ipse est creatura,

vt tu putas, dicit autem ipse, Omnia, quæcunq; facit pater, hæc similiter facit filius, faciet etiam filius alium filium, vt omnia faciat similiter atq; pater. Si autem non fecit, neq; faciet, non est igitur creatura, verum enim dicit, qui ait, Omnia, quæcunq; facit pater, hæc similiter facit filius, non autem facit se ipsum, non est igitur factus.

Sed dices, Non dixit: omnia, quæcunq; fecit, sed quæcunq; facit. Scito consuetudinem scripturæ esse, vt præteritum dicat in præfenti tempore, vt illud, qui facit Angelos suos spiritus; & qui fundat terram super stabilitatem eius. & qui facit Pleiada, & luciferum, & Arcturum, & austru *ταυρων*.

Anom. Ante omnia, & supra omnia oportet interrogare, quid significet ingentum. Si enim significat substantiam, quod quidem est verum, tanta erit variatio, & differentia.

Orth. Nos ante omnia interrogamus, quid significat, genitum. Si enim significat substantiam, quod quidem est falsum, omnia genita sunt eiusdem substantiæ. Sin autem non sunt omnia genita eiusdem substantiæ, neq; genitum est substantia.

Anom. Si genitum non est substantia, genita sunt sine substantia.

Orth. Quid ais *γεννη*? nos filium dicimus genitum, non autem factum. genitum enim esse est habere patrem. factum verò est habere auctorem, siue creatorem.

FINIS.



Expo-

EXPOSITIO  
SANCTORVM PA-  
TRVM NOSTRORVM MA-  
GNI BASILII, ET GREGORII THEO-  
logi de sancta, & Orthodoxa  
fide.



Redo in patrem, & filium, & Spiritum sanctum  
Trinitatem homouision, in separatâ, indiuisam,  
inconfusam, & incomprehensam vnâ natu-  
râ, & substantiam, & regnum, tres personas. Si  
autem interrogeris, quid declarent personæ, siue  
hypostases, respondebis: quod personas inter-  
pretamur mentem, verbum, & spiritum. mens  
generat verbum, & verbum sine spiritu non egreditur. in eo enim  
agnoscitur Deus viuere, quod generat verbum *απαδωσ*. Quod si vis  
exemplis clarius hoc discere, audi. homo habet mentem, & verbum  
inlitum, siue naturale, & spiritum vitalem. egrediens verbum ab ho-  
mine facit voluntatem eius, & ab ipso non separatur: sic & Deus ver-  
bum genitus à patre sine tempore fecit quæcunq; voluit pater tan-  
quam homouisios illi, & ab ipso non est separatus. aut sicut sol est cir-  
culus, & habet medium lumen, & ex lumine procedit radius. & neq;  
vn' homo dicitur tres homines, quia sit mens, & verbum, & spiritus;  
neq; vnus sol tres soles, quia sit circulus, & lumen, & radius, sed poti-  
us vn' homo, & vnus sol; sic vnus Deus est, id est, pater, & filius, & Spi-  
ritus S. tres vnus, & vnus tres indiuisè, & inconfusè. hæc est autem  
indiuisibilitas, quod filius nõ separatur à patre, sicut neq; ab homine  
separatur verbum λόγος siue ratio. aut à sole lumen. & vt lumen e-  
grediens ex sole illuminat mundum, sic vnigenitus filius, & verbum  
non

non separatus à patre operatus est admirabilia opera cœlum, & terram, & quæcunque in eis sunt. item opus incarnationis supra omnia admirabile. manens, enim in patre, nec separatus ab eo. Deus verbum diuino condescensu venit ad nos, & saluauit Israel, & gentes secundum veras promissiones Dei, quas lex, & Propheta prædicarunt, & doctrina Apostolorum, & sanctorum patrum tradidit. inconfusio autem est hæc, primum quidem, quia pater non est filius, neque vnquam erit, neque filius pater, neque Spiritus S. est filius, vel pater, quoniam proprietas cuiusque personæ sanctæ, & beatæ Trinitatis immota manet, & seruatur, id est, in patre quidem proprietas ingeniti, in filio autem proprietas geniti, quoniam genitus est a patre sine tempore, sicut lumen à sole. simul. n. pater, simul filius, simul Spiritus S. seruata immota cuiusque personæ proprietate. ac de diuina quidem, & immortalis naturæ sic sentimus. non. n. dicimus, vt fatui gentiles, solem esse Deum, sed tanquam imaginem assimilamus in circumscriptè, & incomprehensè. quoniam, Deus est infinitus, & à nemine potest comprehendi. Illud autem dicitur comprehendì non posse, quod experientia cognitionis non potest percipi, vt est diuinitas propriè, vt ex vniuersa scriptura didicimus tum veterem, tum nouam. nullus. n. à sæculo sanctorum potuit dicere, quæ substantia sit Deus. tametsi infans Eutolmius hoc ausus est nugari. qui non solum à sanctis doctoribus redarguitur, sed ab ipsa natura, & consequentia.

De incarnatione verò confitemur Dominum nostrum Iesum Christum vnum ex indiuisa, atque inconfusa Trinitate duas naturas, & duas energias, duasque naturales voluntates habere, & Mariam Virginem, quæ eum peperit, propriè, & verè Dei matrem esse. neque posse explicari modum incarnationis præter hoc solum, quod ex Virgine natus est per Spiritum sanctum. pater enim misit filium Saluatorem Mundi. filius autem vnigenitus, & Dei verbum beneplacito patris, & propria voluntate, & Spiritus sancti cooperatione carnem sumpsit mente, & anima, ac ratione præditam, & vniuit eam cum propria sua personæ diuina. non enim pater incarnatus est, neque Spiritus sanctus, sed verbum, & filius Dei in propria personæ, qui deificauit genus hominum. caro alioqui corruptibilis, quam sumpsit Dominus noster Iesus Christus, incorrupta mansit per mortem crucis, & resurrectionem. etsi n. cibum gustauit



Hanc post resurrectionem, non tamen lege corporis, sed œcono-  
 mice, ut probaret carnem illam esse, quæ erat ante resurrectionem,  
 & non aliam. non enim in ventrem, & intestina, atque in secessum ibat,  
 ablit. immo caro diuina post resurrectionem mutata est à materiali  
 in immaterialem, & à passibili in impassibilem; non tamen incir-  
 cumscripam, aut intangibilem, vel inuisibilem, alioqui quomo-  
 do visus esset discipulis post resurrectionem? quomodo dixisset  
 Thomæ, tange me? cibus vero, quem sumpsit coram discipulis,  
 si quis quærat, quo abierit, respondemus, sicuti cera appropin-  
 quans igni liquefit, & definit esse, sic cibus ille adhibitus carni in-  
 corruptibili & πνεύματος Dei resuscitati. post resurrectionem ve-  
 ro conuersatus spacio 40. dierum cum discipulis assumptus est in  
 cœlum, videntibus illis, ut euangelium testatur, & sedit ad dex-  
 teram Dei. Sedere autem ad dexteram Dei non declarat aliquid  
 corporeum, Deus enim corporis, & figuræ, & speciei expers est,  
 sed potius honorem, & gloriam in cœlis significat. hanc enim  
 habuit assumptus in cœlum homo Dei, id est, caro sumpta. illic  
 enim sancta eius anima conuersationis suæ in terra recordatur, est  
 que rationalis, & intelligens, insunt præterea sancto corpori eius  
 suæ proprietates naturales, ut triplex dimensio longitudinis, lati-  
 tudinis, & profunditatis, item species, qualitas, & quantitas, &  
 alia huiusmodi. non enim amisit hæc assumptus Christus. non er-  
 go locum habet hæc fabula Manichæorum, qui aiunt, quod assum-  
 ptus Christus in sole posuit suum corpus, & Deus nudus ascendit.  
 id autem stulte probant auctoritate Dauid dicentis: In sole  
 posuit tabernaculum suum. quibus nos respondemus, O insani, &  
 vani! non appellat Propheta tabernaculum solis carnem à verbo  
 Dei sumptam; quæ cum ipso filio Dei in cœlum ascendit, sed potius  
 tabernaculum solis appellat speciem, & qualitatem orbis solaris,  
 id est, lumen, quod quarto die Deus mundi fabricator in eo po-  
 suit. non enim Propheta loquebatur hic de assumptione, sed  
 de creaturis Dei, quemadmodum perpetuo gloriam Dei nar-  
 rent, postea verò veniet in nouissimo die resurrectionis omni-  
 um, quando tuba canet magno clangore, & tanquam ex som-  
 no surgent omnes, & aderit iudex animarum iustorum & pec-  
 catorum siue adhuc viuientium tunc, siue iam mortuorum: ve-  
 niat autem quemadmodum viderunt cum ascendente in cœlum;  
 sicut

C. N. S. V.  
 S. I. V.  
 27

sicut nos docet beatus Lucas, ut reddat unicuique secundum opera sua; regnum quidem cœleste, id est, Dei visionem iis, qui purgatam habuerint mentem, perpetuum verò supplicium, & æternas tenebras id est, alienationem à Deo iis, qui cœcam. regni autem eius non erit finis, neque terminus, ut ait vir desideriorum. ipsi gloria in sæcula Amen.

**FINIS.**



Photj

PHOTII PA-  
TRIARCHÆ

CONSTANTINOPOLITANI  
EPISTOLA

Ad

MICHAELEM

BVLGARORVM  
REGEM,

Vnà cum sex differtationibus eiusdem Photij  
de diuinitate & Incarna-  
tione.

*Omnia nunc primùm in lucem edita.*

Interprete

Francisco Turriano,  
Societatis I E S V.

Aa

Ad

Handwritten notes on the book's spine, including the letters "SIV" and the number "27".



## Ad Lectorem.

Q
 Vis Photius fuerit, malo ut ex deci-  
 mo tomo Annalium Illustrissimi Car-  
 dinalis Baronij discas, quam ex mea  
 relatione. Utinam tam probitate excelluis-  
 set, quam excelluit ingenio & eruditione. Sed  
 & de causa seu potius controuersia Bulgari-  
 ca reperies multa apud eundem Ecclesiastica  
 Historia instauratorem. unde intelliges, quo  
 consilio haec Epistola ad Michaelem  
 Bulgarorum Regem à Pho-  
 tio scripta fue-  
 rit.

2 ( ? ) 20



Episto

EPISTOLA  
PHOTII AD BVL-  
GARORVM PRIN-  
CIPEM.

*Principi Bulgariae Michaeli filio spirituali Photius  
Episcopus Constantinopolita-*

*nus.*



Lix quidem gratie, Clarissime & mihi Charissime  
fili, exigua, & caduca comoda præbent, quibus  
tributa sunt, quæ verò aptæ sunt ad efficiendum  
animam meliorem, quæ quidem errorem, & per-  
turbationes depellunt, fulgorem verò, & splen-  
dorem virtutum, ac veritatis inferunt, hæ sunt re-  
uera gratiæ, quæ magnos, & immortales quæ flus  
immortali animæ, & similitudinem Dei gerenti suppeditant, & diui-  
nitias cælestes, quæ ei diripi non possunt, comparant. quarum præ-  
stantissima, & aliarum princeps gratia est, quæ ad Deum sine errore  
& cum salute ducit, quam prima & sola puræ, & castæ fidei Christia-  
norum disciplina, & institutio largitur. hæc hominem variis errori-  
bus liberat; & oculos cordis pulsa inde caligine repurgat, ut pura con-  
templatione animæ in purissimam pulchritudinem diuini cultus in-  
tueri possit. per quem ad illam substantiam, quæ supra mentem est &  
omnium causa, & effeatrix, eleuati, vnam Trinitatis diuinitatem,  
quantum homo assequi potest, tanquam in speculo spectamus. hæc  
igitur tanta gratia & dono cum animam tuam sapientem dignam  
esse repererimus, te enim virtutem, & erga Deum pietatem amare  
credimus, te magnifico, & optato munere prosequimur, in quo sa-

Aa 2

gram

cram, & diuinam fidei nostræ disciplinam collocantes, sanctas, & œcumenicas septem synodos tanquam vallum, & muros diuinæ huius & Orthodoxę institutionis apponimus, non omnino reticentes quęcunq; vitam moderantur, & rectam fidei normam testantur. sicut. niti omnia à principio dicere, inlegans est; sic nihil dicere agreste, & durum est. oportet autem virtutes fidei figere & stabilire, & vtroque studiosum perfici. Siquidem recta ratio dogmatum vitæ honestatem profert; & puritas actionum sanctitatem fidei denunciat. vtrumq; sine altero facile solet dilabi, & dissipari, dum non potest solitarium in animis habitare. Sed de his postea, nunc autem sacram & diuinam sacri cultus nostri disciplinam promamus.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem celi & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum, ex patre natum ante omnia sæcula, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, Consubstantialem patri per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. & resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum S. Dominum, & viuificantem, qui ex patre <sup>filioq;</sup> procedit, qui cum patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur. qui locutus est per Prophetas. & vnā sanctā Catholicā, & Apostolicā Ecclesiā. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorū, & vitā venturi sæculi, Amen. Sic igit sentiens, & credens secundum traditionem sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ. O pulchra imago meorum laborum, Amplectere, & cole septem sanctas, & œcumenicas Synodos partim tanquam magistras, partim tanquam pietatis propugnatrices. per eas enim expellitur vniuersa noxitas, & hæresis; & sensus rectæ fidei incorruptus, & ab antiquis traditus in animis piorum in venerationem ab omni dubitatione liberam fundatus est. Quas narrare incipiam, tempus, locum, & numerum eorum, qui conuenerunt, & cuiusq; synodi præfides gratia docilitatis propriis earum actionibus designans.

*Ita in Tur-  
riani Sche-  
dū. Quod  
ab Inter-  
prete ad-  
ditum  
eredide-  
rim.*

Nar-

*Narrationem de septem Synodis omisit Tur-  
rianus Interpres. Exstat de eodem argumento  
opusculum Photij. Post narrationem de  
septem Synodis sic pergit  
Photius.*

**H**æc est fidei Christianorum pura, & omnis maculæ expers con-  
fessio; hæc est puri & synceri cultus nostri, & diuinorum my-  
steriorum venerabilium institutio. Secundum hæc dum vsq; ad ex-  
tremū & occasum vitæ sentimus, & credimus & vitā degimus, ad o-  
rientē solis intellectus properamus, vt fulgore, atq; splendore nullā  
vesperā habituro, inde vibrato clarius, & perfectius fruamur. Hanc te  
oportet sincera affectione; & voluntate recta, ac fide certa, & firma,  
inuentem in nostram sortem pietatis amplecti, & amare, nec ad  
dextram, nec ad læuam, ne minimum quidem ab ea deflectere, ac  
declinare. hæc enim est prædicatio Apostolorū. Hæc sententia conciliorum  
œcumenicorum, quam obrem non solum te sic sentire & pro-  
ficere oportet, sed etiam eos, qui in ditione, & potestate tua sunt, ad  
eundem sensum veritatis adducere, & ad eandem fidem aptare; ni-  
hilq; hoc studio, & cura honestius, præstantiusq; existimare. reuera  
enim principis est, non solum salutis suæ curam habere, sed populum  
sibi commissum æquali prouidentia dignari, ac ad eandem perfectio-  
nem cognitionis Dei manu ducere, & prouocare. fac igitur, ne me  
spes frustretur, quam tua ad virtutes propensio, & obedientia mihi  
conciarunt; neq; labores, quos pro salute tua alacriter suscepimus,  
inanes reddas. neque demonstras incipere te quidem prompte & ala-  
criter suscipere sermones diuinæ prædicationis; promptitudo verò, &  
alacritas desinat in segnitiam. quin potius sit finis principio similis.  
Consentiat fides cum vitâ degenda. fac, vt potestas tua cernatur, &  
nominetur commune bonum & generis, & patriæ, meumque de te  
gaudium, & letitiam fac, vt non deleas.

Sed vide amator Christi & fili spiritualis, & si quod aliud no-  
men illustre, & pulchrum & dilectione dignum est, vide inquam,  
quot acies diabolus aduersus piam, & solam veram Christianorum re-  
ligionem instruxit, hæreses dico varias, & seditiones, ac pugnas, &  
bella, quæ excogitauit. vide, que madmodum cunctas hæreses hæc re-

ligio euertit, & profligauit, & de omnibus splendida trophæa posuit. neq; mirere, cum tecum reputaueris machinationes, & insidias contra eam. primum enim nunquam sic clara, & fortis, & insignis victoriis facta esset, si nihil hostile, & bellicum cum ea implicatum fuisset. Deinde illud etiam facile est aduertere, vbi vehementius oppugnatur diabolus, studiosi eo tela nequitia suæ emittit; & machinas collocat. in aliis enim gentibus quia nullum est ei acre bellum, nec ipse contra eas arma sumit, qui vero sunt Christianus Dei populus, gens sancta, regale sacerdotium, quia quotidie fide roborati contra prauas eius actiones, & studia viriliter, & fortiter dimicant, idcirco & ille infinitis insidiis, & omnibus artibus aliquos ex eis seducere artificiosè nititur; laboratque vt ecclesiam Christi mœre afficiat, tamen in dedecus pudendum certamina, & peruersitates ei desinunt.

Præterea, aliæ gentes sententias habent in dogmatibus non distinctas, & confusas, nihilque purum, & perfectè excussum: ob hanc causam neq; q̄ deprauatum est, apparet: in fide verò purissima & sanctissima ac valde perfectæ Christianorum, quia sincera, & recta, atq; excellens & incorrupta est, si quis paulum aliquid deprauatum, vel nouum introducere aggrediatur, continuo quod deprauatum, & adulteratum est, comparatione veritatis, & recti sermonis deprehenditur, & coarguitur. nec ad breue tempus patitur generosa fidei nobilitas, vt lateat fœtus adulterinus sub nomine piorum dogmatum. Sicut enim in corporibus pulchritudine præstantibus parua etiam macula citò deprehenditur ac notatur, facta comparatione reliquæ pulchritudinis, quæ in corpore est; in iis verò corporibus, quæ turpem, & fœdum aspectum habent, non facile possunt, quæ turpitudinem habent, demonstrari. latent enim propter affinitatem, & similitudinem deformitatis. Sic euenit in pulcherrima, & splendidissima religione, & fide Christianorum, si quis paululum quid in ea deprauet, & vitiet, magnam turpitudinem, & prauitatem efficit; & statim coarguitur; alia verò gentium dogmata cum alioqui plena sint fœditate, & turpitudine; non tamen iis, qui eorum studio tenentur turpitudinis, quæ in eis est, sensum, & cognitionem præbent. nec in his solum hoc fit, sed in omnibus aliis artibus, & scientiis hoc ipsum perspicere licet. in absolutissimis enim, & limatissimis etiam minimum erratum facillime deprehenditur, & indicatur; in iis verò artibus, quæ viles sunt & vulgares, multa negliguntur; & nemo in eis erratum indicat, immo si hoc etiam exemplum placet, in magistratibus,



& iis maximè, qui alios in sua potestate, & ditione tenent, paruum peccatum grande efficitur, & omnibus peruulgatum: in iis verò, qui in potestate aliorum tenentur, & sunt humiliores, multa eiusmodi peccata ne facta quidem esse sciuntur. quin potius paruitas, & tenuitas eius, qui peccauit, illa tegit, & latere facit. Quanto igitur fides, & cultus Christianorum ob magnitudinem, firmitatem, pulchritudinem, absolutionem, & puritatem, & ceteram omnem perfectionem præstantior, & excellentior est quam opinationes Gentium, tanto magis diabolus ad bellandum cum ea prouocatur, & tanto magis rursus quæ homines insipientes, & male consulti in eam peccant, continuo apparent; neq; latebram breuem reperiunt. Sed potius ecclesia Dei Catholica, & Apostolica, vt antea diximus, omnes diaboli machinas fractas, & diruptas esse conuincit, & magis in ipsum machinatorem illas ipsas machinas retorquet, atq; ex hæreticorum blasphemia à se propulsata, & impudentia eorum conuicta inuictum & inexpugnabile robur contra omnes recipit, & pulchris triumphis semper decoratur.



Differ-



*Dissertatio prima.*

PHOTII PATRI-  
ARCHÆ CON-  
STANTINOPO-  
LITANI.

*Quomodo dicatur esse Deus in omnire, & quomodo dissolui  
possint dubitationes, quæ à quibusdam contra  
hoc obiciuntur.*



N multis quæ de Deo contemplamur, ne omnia dicam, non solum, qui mysteriis pietatis non fuerunt initiati, quamuis acie mentis & cognitione rerum corporearum hominibus sui ordinis præstitissent, quiq; nostram ignorauerunt vim contemplandi infirmiore esse, quàm vt intelligentia comprehendere illa possent, experientiâ comprobarunt, sed & quicumq; propter studium pietatis & vitam puram profundiora cognouerunt, nec his quidem inuentio rerum diuinarum facilis esse solet, quid dico inuentionem? siquidem nec ipsa scrutatio purè eorum mentem afficit. Hæc autem quæstio tanquam omnino magis recondita, & quæ mentem, curiosorum excellit, studium, vt intelligatur, postulat, non igitur, quæ dicuntur, sic audire oportet, quasi limatius rem comprehenderimus, & nihil amplius ad cognoscendum de ea relictum à nobis sit, sed beneuolè audire oportet, & amplecti quantū humanis cogitationibus ea, quæ humanam noticiam superant, assequi possumus.

In omni est Deus, (quod tibi in quæstione nunc positum est) tanquam nihil eorum, quæ sunt. Si enim esset vnum ex iis, quæ sunt, qui

qui est omnium auctor & fabricator, vnus vocaretur ex iis, quæ ab ipso facta sunt. Hanc enim legem imponit communio cum iis, quæ sunt, & eorum cognatio à principe & Creatore profecta, si quis per vim nitatur, & quod variari non potest, mutuam habitudinem cum rebus habeat, & Creator cum creaturis.

Igitur tanquam nihil eorum quæ sunt, cum suis coniungitur, & demittit se Deus ad suas creaturas, sed propria dispositione & œconomia distincta, suam cum rebus habitudinem aptat. Sicut autem est Deus sapiens simul & supra sapientes, & fortis Deus & supra fortes, & supra Deos, & propriè substantia & supra substantiam, & ipsum per se bonum, & similiter supra bonum; sic dicitur esse in omni, & supra omne, in sola enim natura, quæ supra naturam est, & quæ dici non potest, & multorum nominum est, forma nominum affirmantium significationem habet consentientem cum forma vocum negantium, vel priuantium. Ex quo fit, vt esse in omni, non neget esse supra omne, sed potius confirmet, & non hoc solum, sed nec esse supra omne, variationem admirabiliorem in Theologia recipit præter eam, quam tradit esse in omni.

Quare qui dubitat, si Deus est in omni, non esse supra omne, ignoratis vsum sacrarum vocum de diuina natura; & nihil altius neque diuinius, quàm consuetudo rerum corporearum fert, de iis, quæ materia vacant, cogitat. Sed quomodo est in omni? dictum enim est, nullo modo earum rerum quæ sunt; sed si oportet aliquid adhuc dicere quod sit maioris contemplationis, iis etiam, qui sunt altiore mente præditi, & non solent formidare & fugere altitudinem dogmatum magis Theologicorum, est Deus actu & substantia in omni. Quomodo igitur est substantia sicut intellexisti actu? quia enim alia sunt quandoque potentia, quandoque actu; Deus vero (vt qui aciem mentis acutam habet, intelligere potest) semper adest actu, non enim ex imperfecto ad perfectum procedit, neque aliud quid est esse ipsum per se bonum, præterquam ipsum esse per se actum, liquet, in quibus est actu, in iis ipsis esse substantia, agit enim conseruationem & durationem eorum, quæ sunt. sustentat autem & continet naturam eorum, quæ ab ipso creata sunt.

Quomodo igitur si Deus est secundum substantiam in omni, non conficitur vna ex omnibus *ouros*, id est, consubstantiatio, & natura? Quoniam neque eum ipsum intelligis secundum actum, & dicitis actu esse in omni, neque sic, inquam, erit constitutus & ratio-

nem naturæ habens, qui possit subire integrum quodammodo vsum, constitutus inquam ex omni & ex diuina natura, quæ præstantior est, quàm vt possit cum alio congreri ad vnã totam hypostasis perfectionem. Et quomodo esse secundum substantiam in aliquo (hæc enim quæstio digna videtur indagazione) non facit, vt intelligamus vnã cum illo hypostasis? Sed non est difficilis ad soluendum, quia esse in aliquo secundum substantiam dupliciter dicitur, vnum enim significatum declarat sic esse in aliquo, vt fiat pars compositi, & compleat perfectionem secundum hypostasis, sicut anima est in corpore; alterum verò significatum declarat ita esse in aliquo, vt nunquam efficiatur pars concretionis, siue coagmentationis; neq; proprietatibus immutatur, naturis vtriusq; propriis factis communibus, nec ab altero ex concretis perficitur, sed potius est congressus eius constituens & conseruans coniunctam, & perfectam hypostasis, sicut est ars gubernatoris in nauis, vt minutissima imagine & similitudine eius rei, quæ in promptu est, vtamur. Atq; hæc quidem non dogmaticè & immutabiliter dicta sunt, vt in proemio præmonuimus, sed potius per coniecturam & exercitationis gratia delineata sunt. Valeant ergo hæc quoad meliora exeant.

*Eiusdem Photij Theologia Hypotyposes, id est, informationes notionis fidei.*

## Dissertatio II.

¶ **N**on potest exprimi, sicut neq; cognosci Deus, quia neq; notionibus tantum, quæpiam quæ prius extiterint, percipere possumus, ex quibus ratio progressa illius beati spectaculi, quod verbis exprimi non potest, cognitionem præbeat. Ex iis tamen, quæ posteriora sunt, tanquam ex quodam splendore tenui, à Deo in ipsis obscure ostenso, qui facit, vt possit mens in illam immensam pulchritudinem intueri, fieri potest, vt quasdam cogitationes Deum decentes recipiamus. Sicut enim, qui sunt tenebris densis circumfusi, fulgorem quendam paruum & tenuem radiorum solis admittunt, sic qui sunt conclusi in carne, ex illo splendore solis intellectibilis, tanquam à quodam speculo, desiderij & inquisitionis radio vmbrales elicientes, ad notitiam quandam & cogitationem eleuari possunt.

¶ **¶** Quam igitur rationem sol in iis, quæ sub sensum cadunt, habet, similem cognitionem Dei potest quis præbere, & accipere, tanquam ex imagine in iis, quæ sub intelligentiam cadunt.

Sed

Sed enim ex negatione etiam omnium, quæ sunt, adducimur ad contemplationem substantiæ, extra omnia positæ, & diuinitatis; quod enim nihil est eorum omnium quæ sunt, & omni melius est, hoc utiq; erit Deus, qui ex nihilo fecit omne, & providentia sua, quæ facta sunt, conseruat, & vt aptè & concinnè moueatur, facit.

Et quod potissimum est, omnium hominum mentibus communiter insitum est, Deum esse, & illinc fulgor, tanquam per ostensiones quasdam mentem excitat, & illuminat, tamen nō vt sciamus, quid tandem Deus est, tamen vt nō ignoremus, esse quidē omnino.

Si enim omnis similitudo siue nomen continui habeat, siue disereci, sicut in infinitum potest secari & dissipari, sic etiam ad fluxionem & interitum deferri, omnino tamen participatione vnus cuiusdam liberatur, ne ista patiat, statim vt participatio vnus prodit: quin potius duratione, & conseruatione fruatur, participationem dico vnus, non vnus propriè, quod est supra substantiam, quoniam participatione huius neq; secari neq; dissipari possent, nec natura essent omnino fluxa & mortalis, sed participationem vnus dico, quod quidem, qui dixerit esse vmbra tenuem vnus propriè & supra substantiam, ad coniecturam iste prope accesserit, quæ nihil audax repræsentet, huiusmodi verò est vnum apud nos, cuius, sic vt dictum est, facta particeps multitudo secabilis quidem est & dissipabilis, & fluxa, nondum tamen eo processit, vt fluxerit, aut disiecta sit.

Idcirco ipsa multitudo, quæ natura sua terminatione & specie caret, propter illud vnum definitur & specie afficitur, quaternarius enim, & septenarius, & denarius, & tricenarius, veluti simulacra sunt, & factus vnus, quod apud nos est, quæ speciem inducunt multitudinis, & eam vniunt & terminant, ac circumscribunt.

Similiter autem si omne vnitum non sibi ipsi vnit, sed vnitatem vnitum est, & ipsum igitur participatione vnus saluum, & incolume seruetur, vnus scilicet non illius propriè, & supra substantiam, sed sicut ante dictum est, vnus, quod illius vmbra fruatur.

Præterea, si in iis, quæ sunt, licet reperire eū, qui dominatur, & eum qui est subiectus dominantis; & ipse q̄ dominat, si subit ordinem eius, q̄ subiectus est dominantis, scilicet nō dominans; nō propriè dominat quia priuatus dominatu subiecti est dominantis, q̄ si ita est, est etiā aliquis dominat<sup>r</sup> superior supra collocatus, q̄ nō cepit ex quo qui

Bb 2. dom

III.

IV.

V.

VI.

VII.

VIII.

dominatur, obscura similitudinis adumbratione suscepta, habitudinem & nominationem dominatus traxit.

IX. Rursus aliter; sicut licet videre subiectum tantum alterius dominationi, & non dominantem, sic licet contemplari esse aliquem principatum eximium, & cæteris omnibus antecellentem, qui non ceperit, qui cum decet, qui diuinitate sua maior est, quam ut mente & intelligentia comprehendi possit.

X. Si possumus in natura rerum reperire bonum, quin poti<sup>9</sup> multa & varia bona (quod enim non fruitur aliquo bono, sed ad summum malitiæ euasit, nec omnino potest consistere, continuè enim dissiparetur & interiret, siquidem est interitus & dissipatio mali) liquet alia quidem magis, alia verò minus bonum participare, quod si sunt, quæ magis & minus bonum participant, non dubium est, quod qui participant, in primo ordine, vel in secundo, vel in alio aliquo boni sunt, omnes autem similiter largitate cuiusdam sublimis bonitatis fruentes gratiam boni in seipsis ferunt; quod si hoc sic est, est igitur bonitas supra bonum, unde ius, qui boni fiant, donum præbetur, quo fiant boni pro portione ipsorum, qui donum acceperunt. Ex iis igitur quæ dicta sunt, patet possibile esse venari quandam cognitionem quod Deus est, & hic est vnum, quod supra substantiam est, & Dominus ac princeps sine initio, & bonitas supra bonum, tanquam bonitas bonitatis, & ex aliis tanquam ex simulacris quibusdam, & assimilationibus, sicut principio diximus, quæ possunt sumi à posteriori, quibus eleuati intueri possumus in illam immensam pulchritudinem, & omni ratione maiorem diuinitatis, quæ supra substantiam, & supra naturam est, præsertim cum non sit difficile ea, quæ huiusmodi sunt, ea ratione & via, quam diximus, colligere, quantum verò pro necessitate, quæ in præsentia est, & pro inopia librariorum, quibus carebamus, & librorum, qui captiui ducti sunt, satis tibi sint hæc.

*Scriptis  
ergo hæc  
Photius  
deiecit  
de throno  
Constanti-  
nop. & cie-  
sim in exi-  
lium. Vide  
Bayon.  
Tom. 10.*

*Eiusdem Photij, quare vsq; ad Trinitatem procedat Deus, & nec  
intra Trinitatem circumscribatur; nec vlti-  
rius extendatur.*

Dissertatio III.

Sermo quidem de arcanis Dei, & qui cognitionem, quæ in speculo & ænigmate versatur, superat, in diuinæ & cœlestis mystagogiæ lecretis, quibus abditus latet, abditus permaneat. Quæ verò per locum

locum scenæ spectare possumus, & auribus terrenis audire, hæc si in  
secundis & posterioribus proponamus, qui, quod quaeritur, per pri-  
ma venari non valemus, non debemus penas eorum, qui siluerunt.  
Vnum autem eorum & diuinius dicendum est, quod mysticus & sine  
intermissione decantatus hymnus Cherubicus per trium sanctita-  
tem in vnam dominationem copulatus, diuinæ Trinitatis perfectio-  
nem describit, & nominum simplicitas per continuationem adhibita,  
nihilque mediū introducens, imò etiam illa verbi sine vlla variatione  
repetitio, non minus simplicitatem substantiæ, quæ supra substanti-  
am est, depingit & exprimit: proxime verò docet personarum inter  
se vnam sine vlla distantia naturam, & sine vlla variatione substan-  
tiam.

Præterea in iis, quæ perfecta sunt, conueniunt principium, me-  
diū, & finis: primus autem inter omnes alios numeros, numerus  
Trium hæc fortitus est; consentaneè enim diuinitas arcana, & quæ  
cogitari non potest, cū vellet per ea, quæ nobis nota sunt, vt symbo-  
la quædam & vestigia cognitionis suæ lucerent, voluit per sermonem  
diuinum de tribus nobis notefecere. Deinde quæcunq; Deum decen-  
tia in Deo contemplamur, reperimus à principio naturam accepisse,  
vt ad tria reuocarentur, & nec ad pauciora, nec ad plura. Et quæ ista  
sunt? nempe substantia, virtus siue potentia, & operatio, nec enim  
fas est auferre potentiam diuinitati; immo nec operationem, & mul-  
to minus substantiam, quin etiam neq; licet ista idem facere, & in v-  
nam personam contrahere, ac rationem vnam & eandem reddere  
potentiæ & substantiæ, vel potentiæ & operationis, vel operationis &  
substantiæ. Cum ergo tria sint, ad quæ alia nomina, quæ Deum de-  
sent, & proprietates referuntur & reducuntur, consentaneè Deus  
nec intra Trinitatem includitur, nec extra Trinitatem dilatatur.

Quomodo autem ducantur aliqua etiam in singulas ex istis  
tribus notionibus, neq; laboriosum est reperire, neq; repertis alios  
facere vtilitatis participes; ac primum hoc nomen supra substanti-  
am, bonum, carere figura, vnum, carere magnitudine & similia sub-  
stantiam declarant, tametsi alia quidem primùm & sine intermedio,  
alia verò medio quopiam simul cogitato; esse liberum, esse suæ pote-  
statis, Dominum, Creatorem, omnipotentem, & similia in contem-  
platione potentiæ comprehensa sunt. Creatio verò, & prouidentia,  
& saluatio, & gratiarum distributio, & donum, & quæ his sunt vicina,  
operationem diuersis & mysticis verbis significant. Si quæ verò no-

mina diuina & notiones, non ad vnum ex istis tribus pertinent, sed in tota Trinitate versantur, non solum non pugnat cum ratione Veritatis, neque cum Theologia de Trinitate, sed plus etiam confirmat eorum stabilitatem, & ab omni reprehensione vacationem, immo etiam occasionem præbet secundarum rationum, quibus demonstramus consentaneè Deum in ambitum trium personarum expli-  
cari.

Similiter si quis alia consideratione ostendet nomina diuina & notiones in tres personas Trinitatis terminari, multum abest, vt propterea causam habeat inferendi numerum sex personarum, neque vnus vel aliam multitudinem, sed potius immutabilitatem inuolabilem Trinitatis diuersis rationibus confirmatam demonstrabit, magisque fixam & constantem doctrinam Theologiæ ostendet; intelligi enim non vna contemplatione non posse contrahi Trinitatem nec dilatari; ex multis verò locis ac rationibus patet fixam & immutabilem esse, quomodo non erit confirmatio, quæ refelli non potest, causæ à principio reddita? Si enim in alio & alio subiecto, & non in eadem ipsa & vna diuinitate summa Trinitatis demonstraretur, nihil prohiberet, quin multis notionibus diuinitas alio, qui non multiplicabilis, multiplicaretur. Sin verò quoties gratia & munere Dei nobis conceditur, vt Trinitatem contemplerur, in eadem Trinitate supra quam bona sacrum numerum, qui numerum vincit, neque contrahi neque ampliori intelligentia comprehendimus, quomodo non magis multitudo argumentorum docet nos illud non multiplicabile Trinitatis, inuolabile, & immutabile ac verissimum esse & tolli non posse.

Sunt & alia quibus Trinitas ad similitudinem superioris contemplationis subostenditur, cuiusmodi sunt hæc, intellectus, intellectus & intellectio, deinde verbum & Spiritus, & ex quo hæc exeunt. Sed enim & principatus primus, & iustus, & supra principatum, & quorum est principatus secundum rationem *vis sup. quæ*, ex quo exit principatus, qui est in omnibus, quæ sunt secundum dominationem. Sunt postea, genitor, germen, non enim sterilis est, & non fecundus, qui est fons & effector omnium, quæ gignuntur; neque sine Spiritu, qui præbet Spiritum omnibus, neque creaturis suis egentior; est præterea viuificus primum & primorum, supra naturam quidem, tamen secundum proprietatem sibi insitam est, & supra, quam vt ratio eam assequi possit, oportet enim iis, quæ  
ratio-

*g. d. con-  
naturali-  
tati, natu-  
rali cogna-  
tione,*



fatione creationis & dominationis producta sunt, & viuificata anteire naturam & vitam sine initio principem eorum, quæ sunt eiusdem naturæ & substantiæ, & cuius splendor est, & ad cuius imitationem & exemplum omnis alia natura & vita extitit, licet terrenis natura artis præposita & antelata esset, quam necesse esset rursus, utpote non liberam, neque sine initio ad similitudinem alterius, quæ esset omnium naturarum effectrix, & supra quam dici posset, eximia, veluti imaginem formari & cõstitui. Multa alia essent, quæ possent ad eandem contemplationem adhiberi.....

Eiusdem Photij; quomodo dicamus Deum vnum  
& tria.

## Dissertatio IV.

VNUM & tria Deum Theologicè dicimus, & vnum & tria in diuinitate, quæ supra naturam est, nostra Theologia dicit, non vnum in numeris, vel tria propriè sic accipiens, sicut in iis, quæ secundum naturam, & propriè numerari possunt, omnem enim numerum & vnitatem, quæ sunt partes numeri, & omnem aliam quantitatem diuinitas, mensura arcana, quæ expromi non potest, superat, sed symbolicè nomine vnus intelligere possumus occultam illam & abditam diuinæ naturæ rationem, & ab omni voce & extra se egressione remotionem, & ut sic loquar, inclinationem & ingressionem ad semetipsam; reconditumque illud naturæ supra omnem cogitationem & intelligentiam euectæ. Nomen verò trium mysticè docet bonitatem, quæ eam facit manifestam, & qua procedit, seque expandit, & explicat, non totum fulgorem emittens, sed quantum natura humana potest recipere, in quibus creator & potentia eius, ac providentia quæ per se existit, actu viuifico & omnia conferuante simul splendescit & innotescit, illa enim *παντλης ζεινωση*, id est, perfecta quies & immobilitas in mansione arcana & abditâ, quæ expromi non potest, sicut in thalamis silentij occultatur, sic ab omni mente secessit, quoniam nec est mens, quæ ad ea intelligenda ascendat, quæ supra mentem sunt.

In primis cogitatio nostra, ut Deum decet, mansionem, & stationem, & quietem immotam, & identitatem, & quantum potest humana natura supernè illuminari splendore illinc misso, coniunctè & copulatè contemplatur. Hic verò vnitatem  
& deis

Deest fe-  
rè alterum  
tantum,  
ut notauit  
Turriam

S. N. S. V.  
S. I. V.  
27

& deificam diuersitatem, & inseparabilem in personis immotis, ut Deum decet, manentem, tanquam ex fonte arcano & abdito, decenter Deo aspicit. Vnum igitur & tria est Deus, non secundum artem numerandi, hoc sane ante nos ille arcanorum magister magnus Dionysius ab illo institutus, qui quæ expromi non possunt, eum docuit, significans, aiebat, qui est omnium, quæ sub intelligentiam eaduat eximie, & excellenter effector, nec est vnum, nec vnitas, collocans eum super omnia, quæ apud nos sunt in honore & pretio, declaransque, ut est ante alia, sic etiam esse ante numerationem. Et rursus, inquit, videmus diuinitatem sacrè laudatam tanquam monadem, & vnitatem (Deum inquam tanquam solum & vnum) propter simplicitatem & vnitatem impartibilitatis supra naturam, ex qua, tanquam vnifica potentia, effimur vnum, & nostris diuersitatibus diuinè complicatis & in vnum conuolutis, in vnitatem Dei similem, & vnitionem, quæ Deum imitatur, copulamur.

Trinitatem verò attende, non enim tanquam numerabile, dicit, sed propter manifestationem trium personarum in illa supra naturam fecunditate, ex qua omnis paternitas in cælo & in terra est, & nominatur. Et multa alia huiusmodi licet reperire apud diuinum inaspectabilem spectatorem, & in mysteriis Pauli institutione dignum. Quod autem Trinitas non sit propriè numerabile, tum ex iis, quæ dicta sunt, licet cognoscere: tum alia rationes variè declarant, siquidem in iis, quæ propriè numerari possunt, ut, verbi gratia, in hominibus & angelis, & similiter in infinitis aliis dicere possumus, trinitatem Angelorum & trinitatem hominum, immo & tres Angelos, & tres homines; in trinitate verò supra quàm sancta, neque Trinitas deorum piè dici potest, neque tres Dij. Rursus in Trinitate supra quàm sancta & vnus eiusdemque substantiæ personæ in seipsis mutuo incedunt, integris & saluis proprietatibus implet omnia pater; implet omnia filius; similiter etiam Spiritus sanctus. Et rursus; vbi adest pater, illic & filius, & pater, quin etiam in quibus est filius, sunt simul & pater & Spiritus sanctus. In iis verò, quæ propriè numerari possunt, nihil eiusmodi ne intelligi quidem potest.

Adhæc, in iis, quæ sunt propriè numerabilia, accessio fit, & subductio eorum, quæ numerantur; in Trinitate verò supra naturam, & incomprehensa, quomodo hoc penitus intelligatur? multa alia eiusmodi contemplari quis potest. Vnum itaque & tria non sunt propriè numerus, neque principium numeri in naturæ diuinæ Theologia.

sed potius vnum symbolum est arcanæ, & in abdito reconditæ naturæ, quæ intelligentia comprehendendi non potest, significatq; in enigmate non posse efferri & exprimi diuinam substantiam. Tria verò manifestatiōem explicant; & diuinitatis impartibilis, atq; incomprehensibile cognitionem aliquantum explanant hominibus qui sunt partibiles: patet enim substantia, quæ supra mentem; & supra omnem comprehensionem est; appellatione Patris, & Filij, & Spiritus sancti. sicut vno arcani, quod supra naturam est, & neq; cogitatione firmatur, contrahitur in arcanum, & quod comprehendendi non potest; & nominibus inter se distinctis traditur coniunctio sine synaresi (id est, contractione personarum) eorum, qui nominibus significantur, & intelliguntur. & quod multiplicari non potest, non recedens ab unitate, exit sine multiplicatione, trinitate multiplicatum. Et hoc quidem vnum tria profert; hæc vero tria ab illa simplicitate vnius & coniunctione non exeunt.

Quamobrem verè est incommunicabilis Deus, nihil enim eiusmodi est in Creaturis; si verò vnum tantum esset, vel tria, Deus infinitos haberet consortes, & participes, & demonstraretq; Creatura creatorem in suis proprietatibus collocatum. Quod si Deus, & diuinitas in omnibus est, & per omnia meat, quid mirum est, si & in hominibus est tanquam homo. Esse igitur in omnibus, tum ex aliis, tum ex ratione Creationis intelligitur, esse verò in hominibus, cognoscitur ex assumptæ humanitate, quam propter charitatem erga nos assumpsit, & ex ortus, quæ cepit, participatione, & communiōe nostra, quæ secundum honorem post primum tulit. Quorum alterum manus creatoris largita est; alterum imple ad nos veniens. Sicut igitur omnia, cum non essent, creatio eius fecit vt essent, sic etiam, quia homines singulari supra aliarum creaturarum omnium procuratiōem prouidentia beneficio affecit, et si partus Virginis, & ille ortus, qui exprimi non potest verbis, supra ortum humanum est, genitum esse dicimus eum, qui ex æternitate est, & hominem vocatum, qui naturam humanam finxit ac formauit. Non facimus hominem Deum, apage, hoc enim verè fieri non potest, & iudicium rationis hoc non patitur, sed Deum confitemur venisse vt hominem, quod facile est Deo, qui naturæ autor fuit, id quod illius in nos charitatis vim magnam prædicat.

Ce

Eiusdem

*Eiusdem Photii, Quomodo omnino cogitari possit, Deum esse incarnatum. Dissertatio Quinta.*

**N**eminem existimo ita a divina illuminatione vacasse, ut non sit ei infinitum, & communi notione anticipatum, Deum esse ubique sine ulla intercapedine, replereq; omnia. Quod si in omnibus rebus adest Deus, nulla mutatione facta propter presentiam eiusdem in rebus, nec ulla variatione status in eum inducta, ex eo, quod alii infra alios sint, nec ulla contumelia aspersa propter maculas, quae in Creaturis insunt, quin potius in illa beatitudinis excellentia, quae neq; dici, nec intelligi potest, supra quam eloqui licet, collocatus omnibus praesens intereat, & omnia continet, & gubernat, quomodo fuerit impossibile, aut quomodo contumeliosum, adesse in humana massa, & sua charitatem maiorem, quam ut exprimi queat, & providentiam per Incarnationem demonstrasse? quin immo quomodo non optimum est, & aptissimum? Sed haec haecenus.

Fortassis aliquis eorum, qui incarnationem Dei impossibilem, & Deo indignam reputant, refellet eam, sentiens non solum Deum factum esse hominem, sed etiam omnium aliarum creaturarum naturam subisse, & πρὸς ὑποτάξειν δεῦν ἐξῆσθαι, id est, eas ad substantialem unionem recepisse. Sed age tu vir valentissime, qui mentis tuae facilem mobilitatem amplecteris, non approbo aliam cogitationem, quia non agnovisti citò, nec advertisti firmè, quod à principio positum fuit, quod negas. Qui enim contendit impossibile esse Deum carnem assumpsisse, & humanam formam induisse, usque adeo videtur hoc per secundam dubitationem confiteri, & comprobare, ut pronuntiet, nec naturam vilius creaturae ex omnibus aliis sumpsisse, & qui in vno vides hoc impossibile, rursus possibile esse Deum assumpsisse carnem in omnibus simul, quae nec apud te sunt impossibilia, vides.

#### EIVSDEM PHOTII,

*Quare Deus Carnem assumpsit Dissertatio VI.*

**Q**uia per paucorum est contemplatione mentis cogitationem, quae Deum deecat, de deo informare, idq; vel ex eo liquet, quod ii, qui videntur inter homines ad summum fastigium sapientiae pervenisse, inter seipsos, & ab aliis plurimum disenserunt; idcirco Deus factus est homo, ut non solum, qui plus cognitionis, quam alii affe-

cuti

cuti videntur, sed etiam vulgus hominum, qui magis sensu, quam ratione ducuntur, per ea, quae vident & audiunt, ad piam & salutarem Dei cognitionem recurrere possunt, per ea, quae sub sensum cadunt, ad eum, qui sub intelligentia, ascendentes, & ab eis, qui per carnem a Deo facti sunt, ad contemplationem diuinitatis incorporea & supra naturam, atque hoc quidem ex eis, quae acciderunt, patet; ex quo enim Deus factus est homo, & illa admirabilia, & quae supra naturam erant opera, formam naturae nostrae ferens perfecit absurdas & multiplicibus erroribus implicatas cogitationes abiecerunt, & illis nugis & idolorum fictionibus procul relegatis Deum in carne visum, hunc verum Deum esse confitentur, & venerantur, qui digni habiti sunt, ut per praesentiam corporis eius & operum eius aspectu, & auditione eum cognoscereant, & huiusmodi cognitione ad cognitionem ac contemplationem eius naturae inaspectabilis adducerentur.

Sed haec quidem vna causa; altera vero quod nequaquam fortis ligatus esset, nisi fortiter certam e hoc subiisset. Tertia, quod doctrina oculis, & auribus proposita valentior est, & multo facilius ad exequendum, quam quae longe in quo, & per alia intermedia annuntiatur. tum etiam actio per imitationem virtutum facilius est & commodior, quam ea quae citra imitationem exigitur. Imitationem autem non possunt habere homines, quae humanam vitam in altum tollat, si nullus sit, qui hanc actionem virtutis suscipiat humanam. huiusmodi actio humana quomodo esse posset, si incarnatio verbi Dei facta non esset? Amore igitur erga homines, & prouidentia immensa verbum Dei factum est homo, & nobiscum deificè conuersatum est, & inter homines vixit.

**FINIS**



CC 2 Frag-

Handwritten notes in the right margin: 'SIV' and '27'.



*Fragmentum.*

LEONTII  
EPISCOPI  
CYPRI

*Contra Hebraeos.*



Stende, inquit, mihi signa Aduentus Christi apud Micheam. Non amplius leuabit gens contra gentem rhompheam, & illud apud Hieremiam, non enim, inquit, docebunt amplius vnus quisq; proximum suum dicens, cognosce dominum; quia omnes cognoscent me à paruo vsq; ad magnum, & illud apud Elaiam, pascetur, inquit, lupus, cum agno, & pardus simul requiescet cum hædo; & vitulus, & taurus, & Leo simul pascetur, & catuli eorum simul erunt, & Leo atq; bos simul comedent paleas, & puer paruus in foramen aspidum, & in cubile natorum ex aspidibus manum mittet, & non nocebunt. Hæc enim est Iudeorum peruulgata quæstio. Aduertant autem omnia facta, & ad exitum perducta esse. Cum n. venturus erat Christus, statim exiuit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, deinde omnigente in potestatem Romanorum redacta, omnes pacem fecerunt, & non amplius inter se bellagerentes, quippe qui sub vno capite essent, ad agriculturam se conuerterunt.

Quod si quæ gentes relictae sunt bestantes, idioma scripturæ est, id est, propria consuetudo, loqui vniuersè de maiore parte. Huiusmodi

modi est illud trium puerorum, non est in tempore hoc Princeps, & Propheta, erāt enim Daniel, & Ezechiel cum ipsis, & Hieremias Hierosolymis: & multa huiusmodi sunt. aut prophetia est de gentibus, quæ crediderunt, secundum verò anagogen, non leuabit gens dæmonum in gentem hominum gladium idololatriæ, qui occidit animas, & eripit sensum cognitionis dei, vbi enim Euangelium prædicatum est, omnes vnum corpus facti sunt, & vnum caput Christum habuerunt, & terrorem demonibus intulerunt, illud enim; non veni mittere pacem, sed gladium, non de gladio civili dictum est, gladius enim quem misit Christus, prædicatio est, & fides prædicationis diuidit fideles ab infideli, & refecans *πῶς ἐπὶ κακῶ χέσιν, καὶ συμφωνίᾳ* *ἐν τῷ* id est, affectionem vitii, & cum eo consensionem, sic ad illud Michææ.

Videamus deinceps illud apud Hieremiam. cum enim multa, & magna signa Christus faceret, omnes à paruo vsq; ad magnum oculos habuerunt magistros cognitionis Dei, cumq; virtutes, quæ Deum decebant, considerarent, cito per seipsos cognouerunt Deum esse, vt licet intelligere non solum ex scriptura Euangeliorum, sed ex animalibus Hebræorum, & historiis Gentilium. Reliquum igitur est, vt dicamus de signo Aduentus Christi apud Esaiam. Hic Propheta ex differentia feritatis & mansuetudinis belluarum declarauit diuersos mores hominum: & ex illorum in compascendo coniunctione, vnum horum diuile, & Ecclesias ex his constituendas in zingmate significauit. Lupum quidem vocauit velocem ad rapiendum, agnum vero eum, quem facile est vexare, & calumniari, pardum vero *τὸν ποικιλόχνημον* id est, versipellem, hædum autem simplicem; vitulum mansuetum, taurum verò audacem, leonem superbum, quos ducet, inquit, & pascet homo prudentia quidem senex, innocentia verò & humilitate puer, ac magnus quidem virtute, paruus autem vilitate quæ apparet, & tenuitate, huiusmodi sunt præsidēs Ecclesiarum, à quibus qui moribus differunt, temperantur, & coaptantur, ac rursus bouem quidem vocat operarium, vrsū vero voracem; item leonem quidem principem, & ductorem, bouem verò sub iugo seruitutis viuentem, ac subiectum, paleas vilem, & tenuem cibum eius, qui sub iugo est, comedet enim cum subiecto is qui subicit, propter vnitatem fidei, puer autem paruus est vnusquisq; præsul, sicut dictum est, malitia paruulus, cuius doctrina propter multam expeditionem manus vocatur, quæ admouetur, & iniicitur infidelibus, qui sunt

